

# DONATI A MV

TIIS MEDICI, IN INTERPRETA-  
tionem Galeni super Quatuordccim Apho-  
rismos Hippocratis, Dialogus.

M V L T A in hoc Dialogo, nunc primum edito,  
præter omnium ferè Medicorum hactenus obserua-  
tionem, rara & abstrusa eruditionis enucleantur: multa  
in Galeni interpretationes argutissime animaduertun-  
tur: non pauca denique ad medicæ artis perfectionem  
hactenus desiderata circa finem Dialogi explicantur.



ANNO DOMINI  
M. D. XLVII.

aug. disc. par. i/.

# ДОНАТІА

4. In manuf. of sugar beet seed at 5% I/T M  
concerned, we find that 100 kg of seed  
of 100% germination rate has a weight of 100 kg.  
So 100 kg of seed of 90% germination rate  
will have a weight of 100 kg. So 100 kg  
of seed of 90% germination rate will have  
a weight of 100 kg.



2010-01-07 12:28

卷之二十一

DIALOGVS QVO LIBRI  
 AVTHOR DONATVS A MVTIIS,  
 & Papias Opizonus, Medici, per totam  
 Italiam clarissimi, colloquuntur.

PAPIAS.



VID causæ est quæso, mi Dona-  
 te, cur tuum illum de arte medica  
 librum, tandem prodire non sinas,  
 ne tot labores die noctuqe conge-  
 sti pereat? D O N A T V S . Id ea-  
 ratione fit, quod liber adhuc ex-  
 tremam manum desiderat. Quantum nanque pu-  
 tas laboris esse, ut quis tædiosam Galenî prolixita-  
 tem, fastidiosasqe eiusde repetitiones ita subterfugia-  
 git ut in pauli breuitatem (ne dīminutionem di-  
 cam) non incurrat? Qui (ut nosti) innumeram  
 regularum copiam ad medicinam pertinentium,  
 & necessariarum omisit. P A . Pergratum mihi fo-  
 ret ut ederetur, ob id saltem, quod inuētio nouam  
 in hac arte methodum, à nemine antehac usitatā,  
 misre ostendit. D O . Ego, ut tibi gratum faciam,  
 dijs iurantibus prorsus enitar. Verum diuturno  
 mihi tempore opus est, dum interea artem exer-  
 cere cogor. P A P . Fac saltem interim, ut centum  
 illi. & amplius Galeni errores in Aphorismorum  
 expositionem perspiciatur. Ex eis namqe quidam  
 adeo me oblectant (absit autem uerbo adulatio)  
 ut pauca admodum iocundiora me legisse memi-  
 nerim. D O N . Ad magnum negotium, ne dicam  
 onus, subeundum me animose hortaris. Sed dic  
 amabò, quam frequens putas murmur excitabi-

## DIALOGVS IN ALIQVOT

tur? Quæ nam inter medicos susurrations sub-  
orietur; hac præsertim nostra tempestate, in qua  
paucos admodum reperias, qui rationibus operam  
nauent; sed maxima hominum pars priscorum tan-  
tum authoritatibus inuigilat, recte an perpera  
quidpiam dicatur, parum animaduertes. Quoniam  
ab incauto uulgo is doctior esse censetur, qui nu-  
merosiores authoritates in medium protulerit:  
quamuis Sapiens scribat, Minimum esse ab autho-  
ritate locum. Nō sacrilegii igitur modo, sed piacu-  
lum inexpiable uidebitur, si quis fateri audeat  
Galenum errasse, magnus quamuis Aristoteles,  
insignis adeo philosophus, errorum aliquet notam  
subterfugere non ualuerit, & de Danubij ortu,  
deq[ue] Via lactea nuncupata, necnon de maris flu-  
xu atque refluxu: & etiam forsan de loci qui-  
ditate, atque in alijs plerisque locis; quorum nonnullos  
adnotaueram ego in libro de Animalium partibus,  
dum mihi ab almo Venetorum Medicorum colle-  
gio mandatum esset, ut Anatomen interpretarer.  
Sed dum id temporis Ragusium contendo, nego-  
tium hoc expleuit, summa cum omnium admira-  
tione doctissimus Trinchauella. Quos tamen om-  
nes, et si breuitatis causa prætermittere libeat, unum  
ex eis solummodo, à me recenter inuentum, quam li-  
bentissime explicare, modo res hæc tibi haud mo-  
lestia foret. P.A. Quinimo non parum ægre fertem-  
ni mihi protinus illum indicares. D.O. Scribit igitur  
Aristoteles in eo quem de generatione anima-  
lium edidit libro, Mulierum menstrua earum semen  
esse, quodq[ue] ab eis in Veneris cōgressu decidit,  
nequaquam semen dici posse, sed uteri quoddam  
proprium excrementum, illis à natura solius oble-  
ctionis

stationis causa datum. Hoc autem duabus præcipue rationibus comprobare nititur; quarum una à tempore, à seminis autem definitione altera sumebatur. Eodem igitur, inquit, tempore mulieribus menses erumpunt, quo maribus genitura fieri incipit, & secerni: necnon desinente ætate abuletur maribus generandi facultas, fœminis uero menstruorum profluiuum. Si eodem etenim desinentis ætatis tempore utrumq; aboleri dixisset, ipsius certe ratio à nemine confringi posset. Verū longe secus euenit. In fœminis nanque bonæ ualitudinis, annum quinquagesimum mensium eruptio non excedit: uiri autem septuagesimum annum nati, nedum semen secernere, sed ex eis quidam propagare etiam ualent, quemadmodum & eiusdem ætatis mulieres, excrementum uteri proprium (ut Aristotelis more loquar) si coierint excernunt. Conuenit igitur longe magis (ut uides) excrementum hoc in eius abolitione cum uiri semine, quam mulierū menses. An nōnne inter initia quoque, eodemmet tempore, quo menses in puellis erumpunt, hoc etiā in eis excernitur excrementum? P A. Vtique, ipsomet maxime hæc in libro de Natura animalium dicente: Cum pueri semen emittunt, fœminis etiam per id tempus, quæ Menstrua uocantur, erumpunt. Subdit autem postea: Fit etiā ut per id tempus custodiri præcipue debeat: maxime enim ad usum rei Venereæ incitantur, cum hæc incipiunt. D O. Non minus igitur hoc, quam illud, eo quo in pueris tempore semen secerni inchoat, in puellis excernitur. P A P. Nec aliter (dubio omni procul) iure dici potest. D O. Ecce quam facile fuerit, hanc Aristotelis ra-

DONATVS IN ALIQVOT

tionem irritam facere: quin illi potius etiam aduersari, quis deinceps negabit? Nunc ad eam, quæ à definitione proficisciatur, accedamus. Dicebat itaq; Cum nil aliud semen sit, quām ultimi alimenti utilis excrementū, sanguinis scilicet, cuius menstruum excrementum esse, pro comperto satis habeatur, ut ipsum igitur semen esse fateamur necesse est. Ad quem ut nunc paucula hæc dixisse sat fuerit, cum in Cōmētarijs de Semine, de hoc abunde disputatum sit. Dicat Aristoteles quæso, Num mulierum lac semen esse censeat? Si affirmet, duq; igitur secretiones seminales agentur, menstrui scilicet & lactis: si neget, quis adeo rudis inueniatur, quem fugiat, lac excrementū sanguinis esse: nec obstat ipsius albedo, cum ipsum quoque viri semen album existat. Non secus igitur ut de menstruis dicebatur, ipsum quoq; ex definitione hac semen esse dicetur. P A. Nullam per deū tua hæc ratio responsionem mihi uidetur admittere. Ut tibi tamen ingenue uerum fatear, ipsum antehac Aristotelem admirabar, ut qui hanc seminis definitionē diuinitus inuenisset. D o. At me hercule, res hæc mihi (quod pace tanti viri dixerim) ridicula semper uisa est, ut quæ coegerit hominem (tantum alioquin philosophum) in hanc adeo absurdam sententiam ire. Proh deūm fidem, quam similitudinem, uel in quo menstrua cum viri semine conueniunt: An quantitate forsan, uel colore, aut eorum re quapiam, qua excrementum illud, quod ipse uteri proprium esse putabat, semini conuenire ostendam, quin potius ipsum semen esse ualidissimis rationibus monstrabo? Et primū à pari utriusq; in Venereis uoluptate ratione sumpta, ac eadem

in

in utrisq; quantitate, nec non colore consimili, &  
 (ut Medicorū more loquar) ab eodem substantiæ  
 modo, hoc est lentoris cuiusdā, quo facilius utero  
 inhæreat. Quod si Aristoteles diligentius mulie-  
 res examinasset, sciuisset utique eas, dum immodi-  
 ce Venere abutuntur, cruenti nescio quid exer-  
 nere, haud absimili ferè modo, quo uiris euenire  
 cōsueuit interdū. Ex quibus indicabat, nō minus  
 hoc, quam illud à sanguine gigni. Postremo, nunc  
 ut mihi attentas aures præstes, quæso. Quonam  
 amabò pacto fieri potuit, ut tam præclarus in A-  
 natome uir (quem in ea Galenus priscis omnibus  
 præponit) seminaria uasa non uiderit, quæ præpa-  
 rantia nuncupātur, ortum in mulieribus trahere  
 perinde ac in uiris: sínistrum scilicet à uena, & ar-  
 teria emulgentibus: dextrum autem à uena cele,  
 & arteria ahorta, quæ sanguine referta plurimis  
 inuolutionibus (ut sūi mora albedinē contrahat)  
 ad testes usq; descendūt. Ultra quos, Deferentiū  
 nomen sortita, ad penis radicem in uiris, ad uteri  
 autem concavum prope ipsius os in fœminis ter-  
 minantur. In his igitur non secus in mulieribus  
 quam in uiris saepius aperte uidere est, his qui fre-  
 quentius in Anatome uersantur, eandem huius  
 excrementi quantitatem, colorem consimilem,  
 necnon similiē substantiæ modū: cumq; parī uolu-  
 ptate excernatur, ac per meatus cōsimiles, quis in  
 uiris semen ipsum esse, in fœminis autem non esse  
 audeat affirmare? Testorq; deū, me saepius huius  
 fuisse sententię, hanc ipsum seminalium uasorum  
 structuram ignorasse, secus has penè ineptias nō  
 protulisset. P. A. Nec (ut hoc ego quoque adiūciā)  
 credere dignum est, naturam tanto studio, artifi-

## IN PRIMVM

cioq; tam grandi, hæc seminaria uasa in fœminis fabricasse, solius causa oblectationis. D O. Si philosophorum igitur omniū facile princeps Aristoteles, errore conuincitur, & quidem satis aperto, cur non itē Galenus, nulla ei trutina (procul etiā) comparādus? Ne tamen nō nullis maleuolis medi eis latrandi ansam præbeam, eos librariorū incudi subiçere nolo. P A. Ne uelis quæso Donat id inspicere. Etenim te certiorem reddo, ut quo quis doctior fuerit, eò mirifice hos tuos labores cōmen dabit. Quid tu de alijs curas? D O. Eia age igitur, ut tibi, cui nō parum debeo, morem geram, Quatuordecim ipsius errores imprimi permittam, seorsum in singulo uolumine bīnos, qui reserato for tuite libro nobis sese primum obtulerint: quos si ab eruditioribus cōmendari sensero, reliquos pa riter imprimēdos curabo. P A. Ut nunc tu facias quod libuerit, cæterū ne primum omittas uelim: in eo namq; diuinationis aliquid inesse conspicuū est. D O. Quin contra potius, mēas illi rationes Grāmatices regulis inniti, rebusq; friuolis dicēt. P A. Tu modo, ut monemus, intrepide peragas, atque pro re tutissima teneas, te doctis omnibus satisfacturum. D O. Fiat igitur, ut præcipis.

## APHORISMVS PRIMVS LIBRI I.

Vita breuis, ars uero longa, occasio au tem præceps, experimentum periculosum, iudiciū difficile. Nec solū ſeipsum præstare oportet opportuna facientē, sed & ægrum, & affidentes, & exteriora.

Non

Non miror, Clarissime vir, tot, tamquam varias interpretationes a priscis Hippocratis expositoriis inuenias, ut quid sibi in hoc Aphorismo uolueret, docerent. Quos omnes a Galeno iure reprobari censeo. Ipsum tamen multo magis demiror (praeftatis alioquin ingenij virorum) ut qui nonnulla hic necessario desiderari non uiderit. Duo autem praecipue ad hoc afferendū me copulere. Illudque in primis, quod cum unicus tantummodo sit (omnium opinione) totus hic Aphorismus, nullam uidetur pars posterior cum praecedente continuitatem habere, siue priscorum interpretum, siue Galeni sententiam sequamur. P A. Testor deum me quoque hoc idē alias adnotasse. D O. Idcirco ipsum credidi quād oportebat illam ex instituto subticuisse. Ait deinceps Hippocrates, Nec solū seipsum prestare oportet opportuna facientem. Quid tu per illud Seipsum intelligi debere putas? P A. O quis est qui nesciat? D O. Quid nam? P A. Medicum. D O. Vbi nam gentium amabò, aut a quo mediocris etiam eruditio[n]is authore, nedum a grauiissimo, atque divino penè Hippocrate, Græcæque linguae sibi cognitæ peritissimo; ubi, inquam, auditum a seculo est, Pronome hoc Relatiū Seipsum, in eloquutione quapiam ponì, ni de eiusdem antecedente prius mentio facta fuerit? Quis ipsum inde in dicendo rūdem non putet? P A. Eoque magis, quo (ut assertum in Commento Galenus) forte fuit hic liber omnium primus, quos idem ediderit. Quocirca ego pariter hic aliquid omnino desiderari firmiter teneo. Verum quid tu nam fore illud existimas? D O. Afferit Galenus in de Plenitudine Commentarijs, arte hanc longam esse, quia res arduæ uno volumi.

ne doceri nō possunt. Tu quoque nosti, optimū oportere medicum, exactam ut habeat anatomes peritiam, membrorumq; omnium usum calleat. Quæ quāto tēpore & labore nancisci quis possit, nouit alijs Carpus, nouit excellentissimus Massa, peritissimusq; ac præclarissimus Vessalius, alijq; complures, qui huic rei propēsius operam nauāt. Sed quid de simplicium medicamentorum copia dicam? deq; eorundem facultatibus, ita ut præ rei difficultate magnitudinēue paucis admodum datum sit apicem attingere. Quid ad hæc de tanta morborum uarietate, copiaq; innumera edifferat; ac de tot eorundem causis & symptomatis; ut infinitas penè curandi regulas præteream. Hæc sunt mi Opizone, quæ longam hanc artem efficiunt.

P.A. Nec secus dicere iure quispiam potest. D.O. Breuitatis uitæ scilicet respectu, hoc est, eius tēporis curriculi, quo studio incumbere ualemus. Ut eo non intermisso, uitæ breuitas, artis longitudini comp̄setur. Quo fit, ut si alijs in artibus illos admireremur, qui in illis præcelluerunt: nō immerito qui hac in arte tales se præstare (præ eius inenarrabili difficultate) in deorum loco habiti sunt. Ex his quis Medicū studiosum esse oportere negabit?

P.A. Nemo sanæ mentis hercle. D.O. Eoq; magis quo eam Galenus cum tot suis, tamq; prolixis interdum Commētarijs nedum longam, sed longissimam fecit. P.A. Sine hoc obsecro, & ad sequentia pergas. D.O. Hippocratis uerba, Occasio autem præceps, Galenus, Hoc ait, duoq; reliqua ab eo dicta, ut ex his artis longitudinem ostenderet. At quid precor facit præceps occasio ad artis longitudinem? Id etenim præceps ab omnibus dicitur,

tur, quod uehemēter celer est. Occasio igitur præcep̄s dicetur, Vbi, exempli causa, cuiquam hodie sanguinem mittere expedīt, aut eundem materia turgentē medicamento purgare. Quod si secordia distuleris, iam præterita occasione, facile æger ad interitum, uel ad magnum saltem discriminē dūcet. Non igitur longitudinis artis ratione dictū est, Occasio præcep̄s. Verum ut potius insinuaret medicū accuratū esse oportere ac diligentē, ne bene agēdi opportunitatē amittat. P A. Id ego quoq; adiūciam, Si nanq; per occasionē præcipitem, longitudinē artis indicare uoluisset, utiq; minime sic dixisset, Occasio aut̄ præcep̄s: uerū sic potius, Ars uero longa, quoniam occasio præcep̄s. D O. Satius itaq; fuisset Galenū in de Atra bīle Cōmentario, rum sententia perst̄itisse. Quis amabō tam hebetis ingenij uir inueniatur, quem fugiat ob ea, quae de longitudine artis diximus, uitæ breuitatis resp̄etu, ipsum indicare uoluisse, Medicū oportere studiosum esse, ob occasionem uero præcipitem, diligentem & accuratum? P A. Nemo prorsus. D O. Cum insuper experimentum periculosum esse asseruerit, siue fallax dicere libeat (utroq; enim modo σφαλερὴ illud uerti potest) quid ipsum pro hoc uoluisse reris? P A P. Nostri equidem pro ætatis ratione, cōsuetudinīs & temporis, ac aliarū rerum plurimarum remedia uariari; ita ut quod unū nūc opem ferre potest, alteri perniciē afferat. Quo fit, ut nemo præter diutius in arte exercitatum, remedijs opportunis uti, citra ægroti discriminē queat. Et cum ex accidenti præterea aliquid eis cōferat, aliud autē ex sua ipsius natura ( siue per se dicas) atque hoc nō nisi ab eo, qui ingenio perspicax sit,

discerni queat, iure subiunxit, Iudicium difficile; siue per ipsum (ut Galenus sensit) rationem, siue maius quodpiam intelligatur. Subiunxit inquam, Iudicium difficile. Ut ex hoc innueret oportere medicum natura prudentem esse, D O. Recte equidem admodum. Nam & Galenus utrumque horum ea de causa in medico esse oportere asseruit, exercitatus scilicet ut esset, & natura prudens, & in calce octauij libri artis curatiuae, ac in Commentarijs de Crisijs, Si studiosis igitur Medicus fuerit, diligensq; & accuratus, necnon exercitatus, & natura prudens (uel si quis perspicacior uniuersa hæc, uno uerbo cōpleti sciat) an putas quæ opportuna sunt, faciet? P A P. Faciet certe. D O. Hæc ergo in Aphorismo desiderātur, ita ut sic legēdus ueniat:

Vita breuis, ars uero longa, occasio autē præceps, experimentum periculoſum, iudicium difficile. Oportet ergo medicum studiosum esse, diligentem, exercitatum, & natura prudentem: nec oportet solum seipsum præstare opportuna faciente, sed & reliqua.

Ecce Aphorismi sensum per tot secula abstrusum, quam perspicuus redditus sit, quamq; aper-te, quid ibi uoluerit Hippocrates, mōstretur: quæ res tantum laboris uisa est priscis expositoribus intulisse. Ecce iterum quam apte secunda ipsius pars cum prima continuetur. Nec illud Seipsum ipsum posthac amplius redarguet, P A. Macte uirtute esto Donate, q; etenim quis eruditior fuerit, quoq; magis animum adhibuerit, eo mirificen-tius tuum hoc inuentum extollebit, & admirabitur.

Verum

Verum iam tempus expostulat, ut ad sequentia properemus.

## APHORISMVS XIX. PRIMI LIBRI.

His qui per circuitus accessionem habet, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

Galenii uerba.

Quod autem dicitur, Ante iudicationes, uel ante accessiones quascunq; simpliciter, uel ante morbi uigores, uel ante illas quæ proprie iudicationes nominantur, est intelligendum. Primus autem intellectus magis uidetur ad propositum pertinere, si uidelicet, ante accessiones intelligamus. Nam de morbi uigore retro dictum est, & si de hoc intelligatur, de iudicatione etiam intelligetur: quoniam magna ex parte morbo in suo uigore consistente fiunt iudicationes. D O. Hoc unum in primis abs te petam, Opizone doctissime, cum familliarissimum tibi Hippocratem habeas, nunquid uspiā forte in eo légeris ut per Crises accessiones intellexerit? P A. Nusquam certe quod memine rim. D O. Nunquid alias forsan apud Galenum, cuius toties Commentarij euoluisti, ut illa nobis sine menda traderes? P A P. Minus etiam, D O N. Quantopere igitur putas, si quos hæc scripsisse legisset, eos (ut sæpius consuetuit) increparet, imò contenta, sublimiç; uoce diceret, Indignum Hippocratica lectione eum esse, qui tanta in hac Crisis dictione, abusione uti ausus fuisset, ut quæ neminimam cum accessionibus affinitatem habeat. Ipsum tamen non puduit tenui admodum ratione, quin falsa potius (ut paulò post ostendam) id.

## IN XIX. APHORIS.

quod alijs criminī daret, afferere. Quod, ut aper-  
tius constet, primum dicas oportet, Cur in morbi  
uigore tenuissimo uictu uti expedit? P A P. Mi-  
ror quod id quæsieris. Num forte te latet hoc do-  
cuisse Galenū, Naturam, dicentē, per id tempus  
coctioni occupatā, quam cibo impedire nefas est?  
D O. Optime. Verum cum morbi uigor (ipso etiā  
teste) ad duos sèpius dies, & ad tres nōnunquam  
duret, nunquid id omne tempus ægrotos inedia  
summa traducere sines? P A. Absit. Mellicrato  
nanc̄ eos saltē, uel ptisanae cremore alerem: nā &  
hæc inter tenuissimas uictus rationes ab ipsomet  
annumerātur. D O. Sed dicas uelim, in qua mor-  
bi uigoris parte parcius cibares? P A P. Quis ne-  
sciat, quòd in eius fine, cum semper (ut ipse do-  
cebāt) crises fiāt in extrema uigoris parte, in qua  
natura non modo coctioni occupata est, sed ma-  
gno conamine materiam extrudere tentat. Hinc  
sèpius stolidi Medicī sequis symptomatis insurgen-  
tibus deterrentur, minus tunc ergo impedienda.  
D O. Ex his plane constat, secus esse Ante morbi  
uigore dicere, quām Ante crises. Ob id perperam  
dixit ipse: nam de Morbi uigore retro dictum est,  
& si de hoc, de iudicatione etiam intelligetur. Et  
ad hæc, Nunquid acuti morbi omnes crisi termi-  
nantur? P A. Mīnime. Quinimō nōnulli (ut ipse  
docebat in Commētarijs de Crīsibus) sine crisi ad  
consumptionem usq̄ perseverāt. D O. Quinam  
igitur uberioris cibandī (ubi interdum in morbi ui-  
gore, uel prope ipsum expedit) hi ne, in quibus  
futura crisis expectatur, an hi in quibus non fue-  
rit indicata? P A P. Postremi utiq̄ potius, ob iam  
enarratam causam. D O. Ecce sic quoque certum  
esse,

esse, aliud esse Ante crises dicere, atque hoc Ante morbi uigorē; atque sic minime Crisis uocabulo abutemur. P A. Nemo Galenum tuis his rationibus conuincí negabit. D O. Superest modò, ut ipsius rationē irritā faciamus. Per Crises etenim nullo pacto morbi uigorē intelligi posse uolebat, quoniā de eo retro dictū fuerat, & si de eo, de iudicatione dictū quoq; esse intelligetur. An non ego pariter Galene, per Crises nequaquam intelligi accessiones posse iure dicam, cum de eis retro in Aphorismo huiusc libri undecimo, tractatū sit. Qui sic ad uerbum habet, In accessionibus abstinerre oportet. Vbi tumet in Cōmento dicebas, Vō luisse Hippocratem insinuare, de accessionibus cum adiunt, aut paulò post affuturæ sunt. Hoc tamen apertius ipsum docuisse in libro de Victu acutorum. Cur quæso paulò infra non dixit, si hic per Crises, accessiones intelligi oportere uolebat? Dic ingenue precor, quis est, qui ipsum nō putet nō fuisse satis sibi ipsi conscient? P A. Nemo profecto, admirabarq; antea rationes quibus ipsum conuiceras, nunc uero longe magis admiror rationis suæ cōfutationem. Vnum ueruntamen mihi non parum obstat, cuius gratia in tuā hanc sententiam non ueniam protinus. D O. Quid in causa est? P A. Nōnne in singulis morbis perpetua ueritatem habet, ut instantे Crisi alimentū subtrahendum sit? D O N. Perge modo, P A P. Cur de his igitur tantūmodo meminīt, qui per circuitus inuadunt? D O. Subtilissime quidem (ut tui semper moris est) instas: quocirca altius mihi repētendum est. Morbi igitur, qui exquisita crisi terminantur, acuti sunt omnes: ut in Commentarijs

de Crisiibūs asserebatur. E quorum numero acutissimi sunt nonnulli, ac perperacuti, nunquam diem quartā excedentes: de quibus ab ipso dicebatur, Eoru omne tempus statis est, ut febris Synochus nuncupata, ardentissimis causis, & acutissimae aginæ, ac alijs plerisq; cōsimiles, qui nullam omnino periodum uel circuitum habent: nihil nunc referrat, si excrescentiam dixeris & remissionem. His igitur affectos, si rectâ ex Hippocratis Methodo curare uolueris, nihil alimenti prorsus exhibebis; Galeno præsertim docente, his inediā omnīmodam esse adhibendā. Superuacanee igitur de his dixisset, Sed adiectioni subtrahendū. Reliqui uero morbi omnes, siue seorsum febres ex humorū putredine ortum trahentes fuerint, siue uisceris cuiuspiam nobilis inflamationes, uelut & ipse in sequenti Commento testabatur. Quod utinam nobis occurrisset, quam pulchre, dīj boni, per ipsum met quam perspicuum errorem, maximumq; monstrasse. Excrecentias, inquam, habet, & remissiones, quod nil aliud est, quam per circuitus inuidere. De solis his igitur dixisse oportuit, Sed adiectioni subtrahendū ante iudicationes. P A. Ingeniose admodū, & resolute, utinamq; sequētia tertia existant, D O. Nonnulla etiā forsitan præstantiora. P A. Secundus igitur liber reseretur.

APHORISMVS XXV. SECVN  
DI LIBRI.

Aestiuæ quartanæ magna ex parte breues, Autumnales longæ, & maxime quæ hyemem attingunt.

D O

D O. Exemplo quartanæ (ut lōgissimo morbo) uoluisse nobis Hippocratem insinuare, morbos quoscunq; æstate breues fieri, hyeme uero longissimos, asserit. Cuiusce rei rationem satis etiā probabilem affert. Humores uidelicet hyeme intus remanere, ueluti latibulis incumbantes, & uires seruari robustas; illud, ne morbi facile soluantur, facere: hoc, ne ægroti moriantur, uiribus interimi sufficientibus. At non iniuria quererere quispiam posset, Cur multo plures igit; morbi adnumerantur Autumno fieri ab Hippocrate, uigesimo secundo Aphorismo tertij libri: ut quartanæ, erraticæ febres, lienis, aquæ intercitem, tabes, urinæ stillicidia, coxendicum dolores, asthmata, & atræ biles: quam quos in uigesimo tertio ibidem enumerat hyeme fieri: ut laterales morbi, pulmoniæ & apoplexiæ, & alijs complures, quorum singuli ferè breui temporis spatio terminantur: Cui sententia magnus quoq; Aristoteles adstipulatur in Problematis quærens, Cur hyems acutos pariant morbos? & in eo perniciosius ægrotetur, quam per æstatē? Nec Galeni propterea ratio plurimum urget. Præter nanq; athletarum Aristotelis exemplum, ac eorum qui secunda ualetudine fruuntur, quod nullo scilicet premantur morbo, uel pressi celeriter è uita deceidunt, atq; sic pariter ægrotantibus hyeme eueniat. Ut condonetur Galeno uolo, Morbos uidelicet hyemales ceteris omnino longiores: uerū ut seruetur in reliquis partitas, opus est. Sed qui fieri potest, ut frigidi, crassi, lentiq; humores, siccicq; præsertim, hyeme utputa frigidissimo putrescant: cum uix, & ægre calidiores: quo sit, ut in eo rarius ægrotetur. Quod si (ne

## IN XXV. APHORIS.

à proposito nostro discedamus) per id tēpus quartaniam fieri contigit, illam breuem futuram ob humoris atri exiguitatem, ac eiusdem (sic dixero) benignitatem, infra latius ostendetur. Ad hæc si, quod Galenus existimat, uoluisset, ut aphoristicae breuitati indulgeret, clariorisq; sententiæ gratia, utique dixisset, Autumnales uero longæ, longissimæ hyemales: uerum, Maxime quæ hyemē attingunt, dixit. Quod nil aliud significare posse uidet, quām, quæ ex autumnalibus hyemē propinquæ sunt. In quam ipse quoque sententiā uel inuitus, & quasi ueritate coactus uenit, in nuper allegati Aphorismi Commēto: ubi dicebat, Et magis quæ ad hyemem coniunguntur. Nisi quis dixerit, ipsum de illis, quæ in extrema autumnī parte fiūt, facere mentionem. Quem tamen sensum minime reprobat: nec iure quidem poterat. Quis namq; adeo rudiſ inueniatur, qui ex hoc dicendī modo, Autumnales uerò longæ, maxime quæ hyemē attingunt, non agnoscat de illis intelligi oportere, quæ in autumni fine oriuntur: Quod clarius ex Græca lectione constat, quæ sic habet: οἱ δὲ φθινοπωγίοι μεταξοῖ, καὶ μακρύτεροι πλέον τὴν χειμῶνα συνάπτουσι. Quin imo prior ibi traditus sensus, extorte admodum, & ut in Adagio est, Vix illata, tractus uidetur. Præterea, nonne distinctius, ac breuius dicere congruum magis fuerat, Morbi aestiuī breues, autumnales longi, longissimiq; hyemales: quām prolixioribus, abstrusioribusq; uerbis, ac ueluti (ut aiunt) in ænigmate, quartanæ exemplo hoc indicare? P.A. His quantum mihi satisfeceris, dij norunt, D.O. Quid de his igitur, quæ sequuntur, dices? Ecce quām luce meridiiana clarius, doceat Hippocrates in

in calce secundi libri de Natura hominis, quartanas autumnales, omnium esse aliorū temporum longissimas. Vbi sic ad uerbum habetur; Cognoveris autem quartanas febres melacholici humoris esse partícipes, quod per autumnum his homines corripuntur. Qui igitur extra hōc tempus quartana fuerint correpti, sciendum est illis nō futuram longam. P A. Fateor equidem me raro admodum quartanam uidisse hyemalem, nullam tamen memini me uidisse quae ad summū desinente uere non desierit. D O. Ob id ego iuniores admonitos uelim, ut huic rei animum aduertant. Facile enim fiet, ut inde ex præfigio non parum sibi gloriae comparare queant, si modo iuxta Hippocratis, aut Galeni Methodum ægros curauerint; minime autem stolidorum more, qui inter morbi initia saepius medicamentis purgatibus, æstivas productiores autumnalibus faciunt, quin & ex simplici duplicom, & continentē nonnunquam. P A. Hanc (me iudice) solam tua hæc ratio responsionem admittit. Quāuis nempe Galenus, duos hos Hippocratis libros esse affirmet, pleraq; tamen in secundo supposititia censet. D O. Nonne tamen supposititia quæc se indicaturū pollicetur? P A. Cur ea negem, quæ ex ipsius lectione quilibet scrire ualeat? D O. Cur ergo, cum quæ de synocho dicebantur confutasset, illinc ad quatuor circiter lineas, & (ut aiunt) sub oculis ipsis de quartana meminisset, ne uerbū quidem de ea fecerit; cum præsertim producto satis sermone, ac uralidissima ratione autumnalem quartanā, cæteris omnibus longiore esse probaretur? P A. Cogor ego fateri, hanc ipsum tacite sententiam approbase, fuisseq;

eorum, quæ in Aphorismis dixerat, immemorem.  
 D O. Si tot igitur & tanta in alium dicenda habu-  
 isset, quandiu putas dixisset, eum nanque dies ci-  
 tius, quam oratio desiceret. P A P. Hoc ego quoq;  
 silentio non præteream, Hippocratem in eodem  
 libro (qui tamen locus Galenij etiam opinione mi-  
 nime suppositius est) dixisse: Atra porro bilis au-  
 tumno & plurima & fortissima est. Qui ergo fieri  
 poterit (Nota uerbum, legulei dicūt) ut si plurima  
 & fortissima sit, quartanam febrem longissimam,  
 ac saeuissimam non pariat? D O N. Sunt & pleraq;  
 alia in Hippocrate loca, quibus id comprobari fa-  
 cile potest, his tamen ut nunc contentus folium  
 uertam.

**APHORISMVS XLVIII. SECVN-**  
**DI LIBRI.**

In omni corporis motu ubi labor coepe-  
 rit, quies statim laffitudinem aufert.

D O. Satis sibi uisus est fecisse Galenus dicēdo,  
 siue hoc uerbum Laborare dolere significet, siue  
 fatigari, in utroq; nanq; sensu uerus est Aphoris-  
 mus. P A P. Num forte aliud dici poterat in tam  
 perspicuo Aphorismo? D O. Silere potius inter-  
 pretis muneris est, quam ut rudem uideri autho-  
 rem sinat. Quocirca nō ab re fuerit paucula quæ-  
 dam præstringere. Dissipato apud agrum Cremo-  
 nensem Venetorum exercitu, studiosicq; iuvenes  
 omnes ferè urbem Patauium studio desolatā dese-  
 ruissent, ego quoq; ut studiorū meorum inceptos  
 labores ad optatum finem redigerem, me statim  
 Bononiā contuli, ibi q; unā cum duobus alijs scho-  
 lasticis domum conduxi, quorum unus philoso-  
 phiae

phie, legibus alter operam nauabat. Huius (ut fit) cubiculum saepius ingrediebar. Accidit autem for-  
tuito, ut dum quadam die eius uolumina reuoluimus,  
ad manum locus libri unius uenerit, in quo de Fœ-  
no mentio erat. Vbi in ordinarijs glossis ita scri-  
ptum inueni: Fœnum, id est herba sicca. Tunc coe-  
pi ridere, ac glossam illam deridere, dicens: O quam  
admirabilis interpretatio. Aegre ferebat ille sum-  
mopere. Vespe autem cum domum reuersi es-  
semus, illi iterum illudo: tunc me suspiciens, ait:  
Quid de tuo Hippocrate enarrabis? cuius Apho-  
rismos non secus ac oracula ueneramini: illum ta-  
men non puduit dicere. In omni corporis motu ubi  
labor coeperit, quies statim lassitudinem aufert.  
Quod non a viris solum, sed etiam a mulierculis &  
pueris, quinimmo (iracunde dicebat) & a brutis  
agnoscitur. Ego qui paulo ante medicinæ initia-  
tus eram, haec audiens obmutui: res etenim mihi  
ab eo proponi ridicula uidebatur: fateorque inge-  
nue me postmodum semper admiratum, quod Ga-  
lenus Aphorismum hunc spurium esse non dixe-  
rit, aut ei sensum aliquem Hippocrate dignum non  
tradiderit. Non mireris igitur me dixisse, illi uisum  
fuisse satisfecisse dicenti, siue hoc uerbū laborare  
dolere significet, siue fatigari, cum in utroque sensu  
uerus sit Aphorismus. Nos autem ut pro viribus  
præstemus operæ pretium fuerit, ne a uanis legu-  
lis posthac Hippocrates illudatur. P.A. Tuum  
tamen erit hanc prouinciam capere, ut qui toties  
tuum ipsum facias. D.O. Faciam quamlibenter:  
interim tamen præstantis aliquid excogita. Tres  
lassitudinis modos (spontinis ut nunc omisissis) cum  
corpora immoderatius se exercuerint oriri, doce-  
sint.)

## IN XLVIII. APHORIS.

bat Galenus in Commentarijs de Salubribus, VI.  
 cerosam uidelicet, Tensionem, & (ut sic dicā) Apo-  
 stemosam. Primam autem in ea corpora incidere,  
 quae prauis succi sunt, & quorū humores acrimoniam  
 habent, cum immoderatus se exercet; secun-  
 dam uero, ubi humorum sola copia abundet: ter-  
 tiam, cum utrumque affuerit. Nihil tamen obstat  
 dicebat, quin in corporibus quoque boni succi lassi-  
 tudo aliqua proueniat ob exercitationis nimium  
 excessum. Hī igitur cum motus ratione dolere in-  
 cooperint, non modo protinus cum quieuerint ab  
 eis auferunt lassitudo, sed etiā uoluptate afficiunt.  
 Ab excrementis uero corporibus, siue ob hu-  
 morum copiam, uel eorumdem acrimoniam, aut  
 utrumque talia extiterint, tantum abest ut protinus  
 lassitudo tollatur, ut omnino egeant uel longa  
 quiete, aut ex oleo dulci frictione, & nonnunquam  
 in aquis medijs temperamenti mora, ac saepius ut  
 denuo sequenti die sese exerceant, alijsque quam  
 pluribus remedij illic à Galeno adamissim enu-  
 meratis. Ut igitur inter haec, & corpora illa discrimi-  
 men faceret, hunc Aphorismum monumētis tra-  
 didit. P A P. Forte quispiam dicere etiam posset,  
 Hippocratē nos admonuisse, ne ultra laboris ini-  
 tiū exerceamur, secus sola quiete protinus lassi-  
 tudo non auferetur. Nec obstat, quod Galenus di-  
 xerit, Siue sint fatigata ut uix agere aliquid pos-  
 sint. Propterea non possum non admirari, te non  
 animaduertisse ipsum his uerbis Hippocrati ad-  
 uiuersari; inquit etenim Hippocrates, In omni cor-  
 poris motu cum cooperit quis dolere. An forte si  
 adeò fatigata corpora fuerint, ut uix se mouere  
 queant, erit illud doloris initium? D o . Minime.

Quin

Quin potius finis. Vel hoc nihilominus, uel illud dicatur, siue à solertiori uiro aliud quid præstans inueniatur, nō multum refert, dum modo sic Aphorismus interpretur, ut puerilia Hippocrates docuisse nō uideatur. Sed de his saq̄is, reliquū est, ut uideamus num forte insigni aliquid tertius liber afferat.

APHORISMVS PRIMVS TER=  
TII LIBRI.

Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes, aut frigoris aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.

D O N. Placeret Galeno eorum sententia, qui per temporum mutationes eorundē successiones intelligebant, utputa cum hyems in uer mutatur, & uer in æstatem, & de reliquīs eodem modo; nisi adiectum hic foret uerbum illud Potissimum, Inquit etenim, Cum in his successionibus nō magis fiant morbi quam soluantur, quomodo in eis potissimum morbi fiunt? Iure quidē ei sententia hæc placere debuit. Quis nanque ex hoc dicendi modo id nō uidet dici oportere? Cum in secunda præsertim Aphorismi parte dictum sit, Magnæ mutationes caloris aut frigoris: per hæc innuēs, temporum successiones ex seipsis nullo adiecto morbos parere, tempora uero ipsa id efficere nequaquam posse, nisi in eis magnæ mutationes oriātur. Ecce quam commode sic aptetur illud, Mutationes temporū: huic, Et in temporibus: quod Galeni sensu approbato difficulter admodum fieri poterit, qui sic habet; Melius fuerit igitur ob illius Potissimum

adiectionem, per mutationes temporū intelligere eas, quæ fiunt secundū illorum temperaturas alterationes. Hæ siquidem sūnt, quæ potissimum generant morbos, quando multæ, alia post aliā fiunt alterationes, quemadmodum paulo post dicet. Vtinam postrema hæc uerba subticuisset. P A P. Cur nam d o. Cur petis tu? An forte oblitus fuit eorum, quæ dixerat in Commēto Aphorismi xix. prīmī libri. Vbi per Crises nequaquam intelligi posse uolebat morbi utgorem, quia de eo retro dictum fuerat. Quonam pacto igitur hic per temporum mutationes intelligimus eas, quæ fiūt secundū eorum temperaturas alterationes? Cum de eis paulo post dicturus sit, uel saltem hac continuatione dicendum fuerat, Mutationes temporū potissimum pariūt morbos. Vt si hyems sicca fuerit, uer uero pluuiosum & reliqua. An nōne insuper, infra dicebat ipse, Sæpius ob duorum temporum mutationes fieri, ut qui in uno eorum oriantur, in altero soluantur: ut si hyemi siccæ, uer pluuiosum successerit, morbi hyemis uere soluuntur. Quin nō minus, etiam si trium fuerint temporum variæ mutationes, id fieri poterit. Quomodo igit fieri poterit semper ueritatē habere, Mutationes temporum potissimum pariūt morbos? Ex his facile scire licet merito fuisse illorum sententiam approbandam, cum præsertim Potissimum illud nō obstat. Vt nanque condonetur Galeno in temporū successionibus non magis fieri morbos, quam etiā solui. Dico Potissimum non fuisse adiectum sanitatis ratione, sed temporum ipsorum potius. Ita ut nequaquam sit Aphorismi sensus, per hoc Potissimum magis in eis fieri morbos quam solui; sed magis

gis in successionibus temporū fieri, quām in temporibus ipsis, in quib[us] (ut experientia īdies docet) raro admodū morbi generātur cītra magnas mutationes, at in temporum successionibus plurimi semper. Secus Galeno illorum sententia placere (ueluti falsa) non debuerat. P A P. Sunt hæc quidem arguta satis, sed uideamus supereft, num quid meliora præstare ualeas. D O N. Morare tantisper quæso, ut agnoscam an forte hoc, Et in temporibus magnæ mutationes, aliam expositiōmem admittat, præter à Galeno adductam. Extat apud me nanque Græcus quidam Aphorismorum interpres, forte Galeno uetusior, secus nescire, cur interdum ipsum non allegasset, cum præsertim in nonnullis ab eo dissentiat. Quo factum est (ingenii nanc, dicebat ille, pudoris est fateri per quem profeceris) ut non parum me in quibusdam in Galenū dictis iuuerit. Hic itaq; per magnas in temporibus mutationes, intelligi uult eas, quæ ad naturæ temporis contrarietatem labuntur; utputa si æstas, quæ secundū sūri naturæ calida est & sicca, frigida fuerit & humida, atque de alijs pariter. P A. Non est hæc omnino spernenda interpretaō, progrediamur tamen.

## AP HORISMVS XV. TER-

## TII LIBRI.

Ex anni autem cōstitutionibus, quod in totū dixerim, siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

D O N. Mirum in modum lætor, hunc nobis occurrisse Aphorismū, in quo nihil quod eruditio- nem, aut ingenij acumen exposulet, dicendū ha-

D

beo, ne ex proposito uidear eos selegisse, quos cæteris præstantiores iudicassem. Nec putes uelim me in hoc libro aliquos deligere non ualuisse, qui aliorum nulli cederent, hinc sumpto exemplo, si etenim ingeniosior quispiā Aphorismi undecimi Commentum legat, hisqe collatis illis quæ in libro de Aere, & locis, & aqua ab utroqe dicitur, agnoscat facile in quanto fuerit errore uersatus. Nunc satis fuerit, quid hic dicendum habeā, paucis absoluere. Cum retro in Aphorismo septimo dictum sit, in siccitatibus febres acutas fieri; millies autem Galenus dixerit, acutos morbos eos esse, qui cito cum discriminē terminantur. Cui etiam sententia Græcus ille meus interpres, his uerbis adstipulat, αὐτὴ τοίνυι ἡ ἐπιρότης, ὅλιγα μὲν ποιεῖ νοσήματα, ὅστις δὲ, οὐδὲν θεραπεύει, hoc est, Ipsa igitur siccitas, paucos quidē efficit morbos, acutos uero et graues. Cur ergo minus mortiferæ dixerit docuisse debuit, an forte minus mortiferæ, quia in eis rarius ægrotet? Quidam etiam Græcarum literarum ignarus, grande aliquid se dixisse putauit, dum dixisset, Non mor mortiferæ, sed morbiferæ legendum, nesciēs Græce sic legi, οὐδὲ ἡστορεῖται : quod nullo pacto huic morbiferæ coaptari potest. Par igitur non fuit, Galenum haec sicco sic pede præteriisse. P.A. Eia uideamus quæso, quidnam boni Quartus liber afferat.

APHORISMVS XXII. QYAR.  
TI LIBRI.

Morbis quibuslibet incipientibus, si atrabilis, uel supra, uel infra exierit, letale.

Galenī uerba.

Quando

Quando aliquis incipit morbus, si quid excer-  
nitur, naturæ ratione nō excernitur: cum etenim  
adsit cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossibile. Quo sit, ut si sine coctionis  
signis excernatur, exitialis sit casus. D O N. Cum  
quispiam interpres rectum quādōc⁹ authoris sen-  
sum nō explicet, si quidem aliquid cognitu dignū  
asseruerit, tolerabilis quidem est, quamuis etiam  
aegre: at ubi unā in errorem quoque rapitur, est  
eius prorsus interpretatio explodenda. Perpetuā  
quidem ueritatē habet, letale esse, cum inter mor-  
borum initia atra bilis excernitur; quod ex huius  
Aphorismi, atque **xxiiii.** testimonio scire licet,  
necon ex eo qui Coacæ prænotiones inscribitur  
libro, ubi sic ad uerbum habetur: Febrenti si atra  
bilis sursum aut deorsum in principio prodierit,  
letale. Et, ut summatim dicam, semper ubi de exi-  
tiali eius exitu meminit, Si in principio excernat,  
adiecit. Quin & Galenus in de Atra bile Com-  
mentarijs ita scriptum reliquit: Quandocunque  
atra bilis excernitur, semper in perniciem excer-  
nitur. Quamuis perperam generatim hoc dixe-  
rit: nam cum nusquam ipsam exitialiter excerni,  
nisi inter morbi initia, apud Hippocratem inue-  
nire sit, ipse quoque Galenus in hoc Commento  
dicebat: Et propter hoc atra bilis, & aliis omnis  
huiuscmodi humor, ubi signa coctionis apparue-  
rint, bonam significat euacuationem. Ecce igitur  
non semper eam in perniciem excerni, sed ubi so-  
lūmodo inter initia extruditur. Veruntamen his,  
(ut proposito nostro minime attinetibus) cur quæ  
so dicas, cum de sola atra bile hoc dixisset Hippo-  
crates, ad alios etiā humores Galenus transfluit.

Vtq̄ rem hanc exquisitius indagemus, à te in pri-  
 mis petā Opizone, ut qui semper fueris omnium  
 diligentissimus obseruator, nūquid ubi humores  
 alios ab atra bile à principio excerni uideris, sint  
 illi in perniciem semper excreti? P A P. Minime  
 gentiū, nec faxit deus, ut ad tot ægrotantiū incom-  
 moda, hoc illis unum quoq; accedit. Objsse qui-  
 dem nonnullos interdum iudi, multò tamen citra  
 contiouersiam plures euasisse. Qua in re si men-  
 tiar, ab hominum utiq; consortio explodí dignius  
 forem. D O N. Quinimò & allegata ab eo Hippo-  
 cratis authoritas ad hanc ipsius sententiā compro-  
 bandam, tantū abest ut quod dixerit cōfirmet, ut  
 etiam ei penitus aduersetur; ita illuc nanq; diceba-  
 tur: Cruda inter initia exeuntia indicare iudica-  
 tionis parentiā, uel labores, uel tempora, uel mor-  
 tes, uel morborū redditus. Nō semper igitur mors  
 his à principio excretis sequetur, cum interdū iu-  
 dicationis parentiam, uellabores, uel reliqua indi-  
 cent. Ecce quam belle sūjpsius telis Galenus con-  
 uincitur. Satius igitur fuerat Aphorismum sinere  
 in suo ueritatis candore, nec quod de sola atra bi-  
 le uere dicebatur, ad alios etiā humores trāsferre,  
 & causam potius afferre, cur humor hic à princi-  
 pio excretus interimat: ut quod cæteris humoris  
 bus deterior, acrior, malignior q; existat, iudicio  
 quod ab eo muscæ aufugiant, & terram abradat.  
 Quo fit, ut si tanta eius copia redundet, ut morbis  
 incipiētibus naturam ad sui excretionem irriteret,  
 fieri posse nequeat, ut præ sui malignitate ab eadē  
 uincatur, concoquatur, & demum critice extru-  
 datur. Illud tamen obiter non est prætereundum,  
 à Leoniceno, uiro alioquin præstantissimo, haud

com-

commodo ἡγόρεις uersum esse, uel tempora: uer-  
rum potius cum doctissimo uiro Cornario legen-  
dum censeo, uel diuturnitatem. Atque sic sensus  
clarior redditur. Cum præsertim χόρος non tem-  
pus modo, sed & temporis moram apud Græcos  
authores saepius significare, linguae Græcae pe-  
nitioribus pro comperto habeatur. P A P. Hoc,  
ueluti leue quid, quæso prætereamus. Illud enim  
potius admirandū erat, tot hactenus, tamq[ue] præ-  
claros Galeni interpretes, huic rei in qua tam  
aperte iure redarguitur, animū non aduerterint:  
D O. Nō mireris oportet: tantopere nanque apud  
eos ipsius authoritas inuuluit, ut ueluti pecudum  
more, unus sese post alium præcipitet. Ego uero  
multò magis Galenum demiror, ut qui nō docue-  
rit, cur cum Hippocrate in uniuersum dixisset,  
Morbis quibuslibet inchoantibus, si atra bilis su-  
pra uel infra exierit, letale; paulò post unico tantu[m]  
interfecto Aphorismo dixerit, Difficultas intesti-  
norum, si ab atra bile incooperit, letale. Si nanque  
hoc in singulis morbis ueritatē habet, quis nesciat  
(quā longe etiam magis) & in dissenteria ueri-  
tatem habere? Nec erat admodum tamen difficultas  
dicitu. Interim autem dum aliorū ingenia expe-  
rirī conducit, ad sequentia me conuertam.

### APHORISMVS LXXIX. QVADR TI LIBRI.

Quibus in urinisharenosa subsistunt, his  
uesica calculo laborat.

Galenī uerba.

Non omnino uesica laborat, sed contingit &  
renes, quare manifeste errat Aphorismus. D O N.

Hic nō modo Galenus, sua hac adiectione, Aphorismi ueritatē opprellit, quinimō deleuit. Verum admodum pulchram, immensamq; doctrinā omisit, quod ut facilius agnoscatur, à te in primis scire cuperem, uiro in cunctis accuratissimo, Nūquid aliquando fuluas harenulas in cuiuspiam matula uideris residentes, præterquam is renū, aut uesicæ calculo uexaretur? P A. Vidi equidem milles, & amplius forte. Et ut ingenue de me ipso faintar, annum iam agens septuagesimum primum, à trigesimo circiter anno, ad hanc usque diem, una cum lotio semper harenulas fuluas excreui, citra dolorem, citraq; grauitatem quampiam, aut pondus, aut penis pruritum, aut urinæ suppressionē, & ut generatim dicam, citra omnem, non dixero indicium, sed calculi suspicionem. D O. Ego me Hercules quoq; Venetijs, necnon Ragusij etiam, ubi per nouennium solus ferè medicam artem exercui, hoc idem sæpiissime perspexi: multo tamen (quam hic) Ragusij pluries. Est etenim ea ciuitas (præ cæteris quas usquam uiderim) renū calculo, ac harenularum generationi maxime obnoxia. P A. Quid pluribus opus est, rudis profecto, parumq; diligēs medicus is censendus est; qui frequentius id nō uiderit. Verum quidnam hæc ad Galenum attinent? D O. Quid attinent, ais? An nōne ex his fateri cogitur, harenulas ab hominibus excerni quādoq; citra renū, aut uesicæ calculum? P A. Quid inde? D O. Nihil ergo sua hæc adiection ad Aphorismi contulit ueritatem. P A P. Erit igitur quoq; Hippocrates nō absimili errore notandus. D O. Mīnime frater. Vbi cunq; etenim de harenulis absolute menunt; de albis semper intel

intellexisse eum, ueri ipsius sectatores affirmant. Cum harenā omnis, Rubriç maris etiā (cōtra sto lidorum sententiam) semper alba conspiciatur. At ubi alterius sortis harenularum meminīt, uel fuluas semper, uel tale quidpiam adiecit. Pro qua re nunc satis nobis fuerit, sexti Epidemiorum locus, sectionis primæ, qui sic ad uerbū habet; In renem dolor grauis, cum replētur cibo, pītuīta uromunt; cum uero redundant dolores æruginosa, & me lius quidem habent: solutintur autem cum cibis euacuati fuerint, harenulae ç fuluæ subsident. Et alibi quoque pluries, quod quisquis Hippocratis dogmatum studiosus approbabit. P A. Iam mihi satis in hoc factum est. Supereft tamen ut ostēdas, quonam albæ harenulæ pacto uescicam necessario calculo laborare indicent. D O. Id facile fiet, si me prius modum docueris, quo in renibus harenulæ confisciantur. P A. Nec hoc erit difficile dictu: pī tuīta nancç cum ad renes aliunde truditur, pauca nonnunquam existens, à ualidiori renum calore, in minimas partes secatur, ad id non parum con ducente optimo amplexu. Quæ ita sectæ, ibidem ob meatuum loci angustiam, tardiū detinentur, quandiu renū insignis calor eas in harenulas uerat, illuc præsertim sensim adeò atque guttatum lo cito defluente, ut eas ad uescicam trudere nequeat, priusquam in harenulas cōmutetur. D O. Docte admodum, ut tui semper moris est, respōdisti, & si causam, ob quam semper fuluæ apparent, quæ à renibus excernuntur, subticueris. Cum tamen hoc parum ad rem nostram faciat, omittatur, satisç sit experientia sola, omniumç cōsensus. Cum in ue sica igitur uniuersa hæc secus se habeant, nunquā

renum uolo in renibus  
at emulo i' uero, uel o  
se pī tuīt a uisida a  
renos do exēctu  
renos de calore  
aduīt a' uerat ton

in ea harenulæ gigni poterūt. Est etenim primum  
 ipsius calor exiguis adeo, ut pituita in tenuissi-  
 mas partes secare nequeat. Ad hoc eiusdem ampli-  
 tudo accedit, cuius merito eandem strictum (ut par-  
 est) haud constringere ualet. Ad istam nanque  
 actionem perficiendam (Galenos etiam teste) appro-  
 pinquatio desideratur. Quod si ipsam etiam in mi-  
 nimis posse secari partes longo temporis intersti-  
 tio cocesserimus, eas tamen multo prius extra tru-  
 di oportere, tum ob amplum penis meatum, tum  
 ob urinam ibidem aceruatim collectam, impetuq[ue]  
 non paruo foras reiectam, atque sic eas secum du-  
 centem, quis est qui non uideat? quam ut a tam exi-  
 guo calore in harenulas uertantur. P A. Haec ue-  
 ra quidem sunt omnia, nondum tamen hactenus  
 docuisti modum, quo harenulæ nonnunquam al-  
 bæ in matula residere spectentur, curq[ue] uesicæ sema-  
 per calculo laborare significant. D Q. Lapidem in  
 uesica ortu trahere, nemo est qui ignoret, ac eun-  
 dem quoq[ue] magna ex parte subalbidu[m] esse. Ab eo  
 igitur urina acri colliso, scobes eius illisa, siue ra-  
 mentu[m], una cum lotio egreditur, ac in matulæ fun-  
 do residet, colore ad instar collisi lapidis, si præser-  
 tim æger adiantu[m] deuorauerit, aut lithospermon  
 cum uino albo potauerit, uel hyrci sanguinē, aut  
 auiculam meam trogloditem, uel ex his aliquod,  
 quod uesicæ calculum comminuere ualet. Ex qui-  
 bus planè constat, nequaquam harenulas albas in  
 matula conspici posse, nisi lapis in ea cōtentus col-  
 lidatur. Quotiescunq[ue] igitur in matula tales resi-  
 dere spectabuntur, illius uesicæ, cuius lotiu[m] fuerit,  
 calculo laborare necesse est; nec secus unquā quis  
 piam euenire comperiet, P A. Utinam nobis po-  
 stremo

stremo hic occurrisset Aphorismus; fieri nanquē nequaquam posse reor, ut huic doctrīna par, aut īgenij acumīne nobis sese in posterūm offerat.  
**D O.** Cur non? Sunt nanque & alij quām plures huic forte non dispares, qui si in hac non poterūt, in altera editione monstrabuntur, imō & in hoc libro quām plures, sed præ cæteris unum (te etiam iudice) hoc præstantiorem indicare possem. **P A.** Fac ipsum quæso audiam. **D O.** Minime gentiū, cum pollicitis standum sit. **P A P.** An ita me parui facis, ut tibi præcipere non ualeā? **D O.** Quinimō tanti, ut maioris neminem. **P A P.** Ut igitur illum indices precor.

**APHORISMVS LXXI. QUAR-**  
**TI LIBRI.**

**Quibus** in septima iudicatur, his nubecula  
**lam** habet quarta die urina rubram, & alia  
**ex ratione.**

**D O.** In hoc Commento Galenus urinam ait, rubram nubeculam habentem in quarta, iudiciū in septima futurum indicare. An nōnne sic Aphorismi sensum peruerit? Aliud nempe dicere: Qui bus in septima iudicā, his urina nubeculā habet quartadie rubrā: ab hoc, Quibus urina in quarta rubrā nubem habet, in septima iudicatur. **P A.** At uero ego hoc, & illud, unum idemq; esse censem. **D O.** Serio ne tu, an ioco dicis? Num te fortelatet (Galenō etiam teste) morbos quām plures, quamuis acutos, ad consumptionem usque sine Crisi perseverare? **P A.** Quid tum denique? **D O.** Non erit igitur perpetuo uerum, ut quibus urina in quarta rubram nubeculā habuerit, in septima

## IN LXXI. APHORIS.

semper iudicetur; At contra, Aphorismus semper  
 ueritatē habet, Rides ne tu Opizone, an irrides;  
 P A. Cur non rideam; cum mihi non paruam ri-  
 dendī occasiōnē præbueris? In præcedente nanc  
 Aphorismo pollicitus fueras te in hoc nescio quid  
 magni indicatur. Veruntamen et si apprime re-  
 ste, nec immerito Galenum redarguas, tenue ta-  
 men hoc est, nec illi procul etiam comparandum.  
 D o. Quiesce tantisper quæso, meq; benignis au-  
 ribus ausculta. Ait deinceps: Sed alba multo plus  
 ipsa. Ab illustribus medicis pluries intellexi, Gale-  
 num mirum in modum commendari, dum præser-  
 tim Hippocratem interpretatur. Ego uero ipsum  
 penè diuinū semper censui, in suis seorsum Com-  
 mentarijs, in Hippocrate autē exponendo sapissi-  
 me hallucinatum. An forte non uides ipsum iterū  
 Hippocrati cōtradicere? Inquit Hippocrates, His  
 nubeculam rubram habet quarta die urina. Ipse  
 autem adiecit: Et alba multo plus ipsa. Mentitur  
 ergo Hippocrates, si quibus in septima iudicatur,  
 non rubram solum, sed albam quoq; nubeculam  
 habere possit quarta die urina. Cæterū (nunc ani-  
 mum inducas uelim) si urina nubem albā habue-  
 rit quarta die, & alia pro ratione eadē, nōnne erit  
 materia concocta? P A. Vtique. D o. Hoc idem  
 ipsem̄ infra asserebat, dicens: Albæ sunt signum  
 concoctionis manifestum. An nōnne centies do-  
 cuit ipse unā cum Hippocrate, medicū debere na-  
 turæ ritu cōcocta mouere? Cur ergo protinus ma-  
 teria in quarta iam cocta non educitur? Est ne na-  
 tura forsitan agens à proposito? ita, ut nunc moue-  
 re nolo dicat, in septima mouebo? Vel igitur nun-  
 quam amplius, uel in quarta materia iam cōcocta  
 moue-

mouebit. P A P. Admirabilis, testor deum, est hæc redargutio, nimiaq; mihi diligentia uideris Mutie Galenī scriptis insudasse. D O. Longe maiorī certe Hippocratis dogmatis. Sūt & pleraq; alia, quæ in hoc Commento dici possent. Velutī quod allegata Hippocratis authoritas, ad hoc propositum minime faciat, cū illīc de rubra urina, hypostasiq; consimili; hic autē de sola nubecula rubra meminerit; ipsumq; Galenū per ipsummet redarguere ualerem in ea, quam astruxit proportione de septima die ad decimam quartam, undecimāq; ad decimam septimam, ac in reliquis pariter. Quæ tamen omnia in aliud tempus dicēda distulī, cum Quin tus iam liber ad se nos euocet, in quo & si plura quām in quopiam alio adnotauerim, unicum tamen duntaxat explicabo, cum tuo iussu Quartus alterum nobis surripuerit.

## APHORISMVS X. QVIN-

## TI LIBRI.

Quicunque ab angina liberantur, his ad pulmonem uertitur, & in septem diebus pereunt. Si uero has effugerint, liberātur.

D O N. Non est in prīmis hoc prætereundum, haud fortè apposite dictum esse Liberātur; uerum potius dicendum erat, Effugiūt. In Græco namq; codice legere est Απελύσονται. Cur autē id notasse placuerit, paulò post scies. Recte admodum Gale nus dicebat, Nūc ipsi sermo est de trāsmutatione, quæ sit ab angina ad pulmonem; debuit ueruntamen docere, cur absolute sic dixerit, Quicunq; anginam effugiunt, his ad pulmonem uertitur. Congruum quippe dicere magis erat, Quicunq; angi

nam effugiunt, si ad pulmonē uertatur, in septem diebus pereunt. Quis nanc̄ rudis adeò medicus inueniatur, qui ab angina nesciat quencunq; libe rari posse, aut sensim materia resoluta, aut eadem suppurrata abscessum rumpi, uel quopiam modo alio terminari, præterquā ad pulmonē uertatur. Erat igitur illud Si adjciendū. At mirabitur quis piam fortè me, de tam exigua re rationem habere uoluisse. Verū desinat ille admirari precor, cum item Galenus hoc idem facere sæpius cōsueuerit. Pro qua re comprobāda, satis nunc nobis fuerit, sexti librī Aphorismus x x x v i. cui (quamuis perperam) etiam adiecit, dicens: Vena etiam secta īiuat. Cur ergo id quoque mihi facere non liceat, ut tamen nō liceat uolo, cū illud Si minime Aphorismo adjciendum censeam. Hæc dixisse tamen uiolui, ut doctiores agnoscant, quām sicco (ut aiūt) pede, Galenus interdum Hippocratem interpre tetur, ubi præsertim abditioris cuiuspiā doctrinæ copia desiderat. Ipsum igitur docuisse licuit, cur absolute sic dixerit Hippocrates, His ad pulmonē uertitur; cum non minus ad uentriculum forsan, & ad pleraq; loca alia uerti posset. Nos itaq; altius repetentes, dicamus Anginam, ubi nulla ratione protinus desinat, ad pulmonem necessario uerti oportere. Quod Hippocrates perspicue insinua uit, cūm absolute sic dixerit, His ad pulmonē uer titur. Idecirco Effugīūt dixit, ac si materia anginā faciens fugā petere uideatur. Quod apertius alias docebat, dicens: Præter rationem euaneſcens, Ac si ita Aphorismus legeretur: Quicunq; ab angina præter rationem euanescente liberātur, his ad pul monem uertitur. Ecce sic igitur non oportere Si illud

illud Aphorismo adiçere, nec tam crassa (ut aiūt) Minerua, absolute proferre. Nunc illi sermo est. Cum angina ad pulmonem uertitur. P A. Et si misericordie placeat tua hæc obseruatio, cur tamen ad pulmonem potius, quam ad uentriculum, aut ad aliam quamquam corporis partem permuteatur angina præter rationem euanscens, scire libet cu- perem, cum non minus gulam, quam arteria asperam saepissime infestet. D O. Forte quod pulmo propinquior, uel ob meatuum amplitudinem maiorem, siue quod perpetuus inspirationis, respira- tionisque motus in causa sit; aut uero, quod Natura difficillima solum præter rationem molitur: difficultatem autem multò anginam esse, quæ anhelitum, quam quæ deglutionem impedit, noruit perito- res. Demum quod sic semper fieri, à diligenteribus sit obseruatum. P A. Sunt hæc equidem sapientia plena. D O. Rursus, nonne quoque fuerat oppor- tunum docere, cur hæc septem dierū spatio præsi- nierit? Cum pulmonia (angina namque cum ad pulmonem uertitur, pulmoniam parit) Cum pulmo- nia, inquam, quarta die saepius, undecimaque non- nunquam, ac quartadecima quandoque, ex Hippo cratis sententia, ipsiusque met Galenī, interimere queat? Utinam saltem dixisset, hoc ea de causa di- cium fuisse, quoniā frequentius eueniat; ualidam tamen habet, fortissimamque rationē, quam ob cau- sam nec serius, neque citius, quam septem dierum interuallo, ab angina orta pulmonia terminari possit: lōgeque minus insuper prætereūdū erat, cur pauperculi interire cogantur, uel suppertos sie- ri, ita ut nullus supersit eorum saluti locus. Hæc erant igitur, mi loānes, à præclaris expositoribus

IN VI. APHORIS.

expetenda. Cūm præsertim pulmonia sputo, san-  
guinisq; nariū fluxu, uel alui defectione, uel sen-  
sim etiā terminari possit ad salutem. Ad quæ Rin-  
nus noster (quem ingenio plenum esse nosti) dice-  
re solebat, Materiam hāc prauā esse, indicio quod  
Natura eam, nedū criticē propulsare, sed nec con-  
coquere traluisset; omnis enim huiuscemodi mu-  
tatio, dícebat Galenus, nunquam mites, sed ma-  
gnos morbos insequitur, minusq; id præstare po-  
test pulmoni, ueluti nobiliori membro, affixa. Na-  
tura præsertim nō parum in primo illo certamine  
defessa, nec tantopere tamen, quin eosq; ægro-  
tus esse superstes ualeat, uel suppurari nonnunq;  
tantilla forsan interdum coctione parta, dum gu-  
la opprimeretur. Necessario igitur uel hoc tempo-  
ris spatio intereunt, uel paulò post suppurati fiūt.  
**P A P.** Non est profecto hæc paruī facienda ratio,  
quam si Galenus protulisset, Medicorum uulgus  
admiraretur. **D O.** Verū uel hoc, uel aliud abstru-  
sius satis dicatur, quod iudicio quidē meo magis  
Hippocraticæ doctrinæ forte cōgrueret, nō multi-  
facio. Hæc enim omnia (ut nunc) cū Sextus liber  
iandudum nos toties accersendo fastidierit, omis-  
sa faciemus.

APHORISMVS VI. SEXTI LIBRI.

Renum & uescicæ uitia in senioribus diffi-  
culter sanantur.

*Deploranda de Galeno D O.* Vrinam acrem horum uiscerum morbos  
irritare, quō difficilius sanentur, recte admodū di-  
ctum est à Galeno, quod quoq; ob indeficiens eo-  
rum opus id eis contingat, forte non minus bene.  
At quod hac sola ratione difficilius sanētur in se-  
nioribus

nioribus renū & uesicæ uitia, perperā dictum reor: hoc etiam adiecto, Quoniā & alijs morbi omnes (præcipue longi) in eis difficulter sanantur; sic etenim necessario redundaret hīc Aphorismus. Nempe si senes cū singulis alijs ætatibus hoc commune habent, ut ob perpetuum uiscerum horum opus, ac urinæ acrimoniam, male affecta sanētur, ob autem solummodo senilem ætatem difficultius, propterea quod (ut supra dicebat) erant eorū uires defectæ. Ad quid oportuit seorsum hīc Aphorismum apponere? nulla alia reddita causa, præter eam, quæ in cæteris quoq; ætatibus adducebatur, ea solum dempta, quod eorū uires erant defectæ; atque sic generatim opportune magis diceretur, Morbi omnes in senioribus difficulter sanantur. Cum uero (ut ipse dicebat) alias dictum fuerit, superflueret omnino Aphorismus. Erat igitur seorsum quæpiam causa afferenda, ob quam scire liceret, cur nam, dum hæc duo seniorum uiscera male haberēt, difficultius quam in cæteris ætatibus sanarentur. Nos itaq; dicimus, quod &c si cuiuslibet ætatis lotium acre sit, multò tamen maiori acrimonia refertæ sunt seniorum urinæ, quam aliarū ætatum, quod præter experientiam ab ipso quoq; Galeno habetur pluribus in locis. P A P. Quis nam adeò inexpertus, aut captiosus, ne inuenirecundus dicā, inuenietur, qui hoc negare audeat? Quem certe senioris hominis urinæ potu redarguere pareret. D O N. Hac igitur de causa fit, ut his senilis ætatibus uisceribus, multò plus lotium, quam in reliquis ætatibus afferat detrimenti. Quocirca hīc Aphorismum, de his solummodo duobus uisceribus pertractantem, seorsum scripsit Hippocrates.

IN XLIII. APHORIS.

P A. Non poteram certe animo concipere, hic aliquid in Galenum dici posse, quod foret notatu dignum: non minus tamen mihi delectationis attulisti, quam his quae in praecedente monstraueris; quamvis acutissime multò illuc plura docueris, utinamq; huic quae sequuntur comparari queant.  
D O N. Si me unum ex uoto, in hoc libro feligere sineres, horum omnium forte nulli eum secundū iudicares: uelle autē debes, cum ego alterum tibi pariter extra pactionem condonauerim. P A. Tu interea fac, ut lubet.

APHORISMVS XLIII. SEXTI

L I B R I.

Quibus ex stillicidio urinæ ileos superuererit, in septem diebus pereunt, nisi febre superveniente satis urinæ fluxerit.

D O. Cum Aphorismi cuiuspiam Galenus causam ignorabat, interdum illum Hippocratis esse negabat. Et ne ab hoc sexto libro lōgius abeamus, in eo diuino penè, & non dixero doctrina, sed saïtia pleno: Qui in febribus ardētibus tremores fiunt, delirium soluit. O quam præclararam sententiam, à tanto uiro nequaquam (alioquin clarissimo) negligendam, quam utinam memor selegisse; nōnunquam uero, quod exempli rationē habeat, ueluti in hoc: Erysipelas ab exterioribus uerti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autē ad exteriora, bonum. Cum nō esset admodum difficile tamen causam reddere, cur de erysipelate potius, quam de alijs præter naturā tumoribus hoc dixerit. Sæpius etiā, quamvis perperam forte, quidpiam addit, sicuti in hoc: Difficultatem urinæ ue-

na secta iuuat. In quo ipse ueluti quid nescio magnum, etiam adiecit. Quandoque uero Aphorismū redundare afferit, ut in hoc: Si quod gracilium intestinorum scindatur, nō coalescit. An nō uiderat ipse diuersum esse, si quis dixerit, Nō coalescit, ab hoc, Letale est? Vtinā saltem dixisset, Hippocrate uoluisse seorsum causam afferre, cur letale esset: ob id scilicet, quod coalescere nequeunt. Verum multò maius est, quod in hoc Aphorismo desideratur. De ueritate demum huius nunc propositi Aphorismi suspicionem habet. Cum nulla nanc alia ratione ex urinæ stillicidio uoluulū fieri posse putaret, præterquam (una cum priscis expositoribus) à uescicæ inflammatione; cumq; citra febrem, insignem etiam satis, id euenire nō posse, iure existimaret, Hippocrate in cassum dixisse iudicauit, Nisi febre superueniente satis urinæ fluxerit, ut quæ iam ægrū detineat. Quocirca ingeniose Cremas noster dicebat, Cum in Commentarijs de locis affectis dictum fuerit, ob homores in uenis per renes, atq; uescicā expurgatos, nonnunquā urinæ stilliciditum euenire: quid prohibet eos affatim ad graciliora intestina trudi, atq; illa sui copia obstruendo, uoluulū excitare: sumpta à Galeno in hoc Commentario uenia dicente, Quòd si libeat ponito, à crassioribus quoq; ea obstruī posse humoribus, ita ut nō ob urinæ stillicidium ileos fiat, sed ex stillicidio, hoc est, ex ea materia quæ stillicidium efficiebat, ac si quandam permutationis modū insinuasset. Verū enim uero sic aptius in uniuersum dixisset Hippocrates; Ileos à materia crassa ortus, in septē diebus perimit, nisi febre superueniente satis urinæ fluxerit. Etrursus, materiā hanc in intesti-

humores  
Cap. 2. lib. 6. 20  
ad obstruēb;

## IN XLIII. APHORIS.

nis residentē non uideo; cur non potius per aliuū, quām quod per uesicam attenuata extruderetur. Nos propterea dicimus, & in primis quidē, Aphorismum hunc pro certo Hippocratis esse, & præterquam quod ex Galenī uerbis elici possit, eandē hanc fuisse antiquorū interpretū mentē, qua de re nō fuit ausus ipse forte palām secus asserere. Cōsimilis extat sentētia in eo, qui Coacæ prænotiones inscribitur libro, in quo sic ad uerbū habetur: In urinæ stillicidio uoluulus accedens, septima die perimit, si non febre accedente urina aceruatim prodeat. Supereft autē ut Aphorismi ueritātē selu- cescat, Nemine credo reperias hac in arte medio- critē etiam exercitatum, qui nō uiderit sēpe en- terocele affectos, solis crassioribus intestinis in scrotum prolapsis uoluulū incurrisse. Nunc pro exemplo satis fuerit nō ignobilis quædam mātro na, cuius cum per nōnullos dies nihil uenter defe- cisset, ob intestina rupto peritonæo parū supra pū bem prolapsa: ad quām, cum sterlus uomere coe- pisset, accessi. Illa igitur & à loco, & à tactu indicio sumpto, non nisi crassiora fuisse, nemo præter im- peritos negasset. Ad quām curandā unā Excellēs quoq; Rauenna accersitus, his, quę uomitu reicie- bantur inspectis, protinus aufugiebat. Nondum enim illi symptomatis huius causa innotuerat: il- lis tamē per peritūm satis ministrum retro non paruo labore compulsis, materia plurima per al- uum deiecta conualuit. Nec præterea eruditior quisquam negabit torminibus quandoq; siue co- licæ dixeris, si diutius ægrotos affligant, ileon su- peruenire posse. Ex quibus perspicuū planè est, ad sola crassiora intestina obstructa, uel cōpressa,

uol-

trolumulū interdū orīrī, nequeūtē quod desuper ad graciliora truditur, deorsum prolabī, quod naturam irritans, per supernas partes reīcī cogitū. Et quamuis hæc pro mea struenda sententia satis superq̄ forent, hoc unum tamen nō reticebo, me scilicet, ab eo saltē tempore citra, quo de arte medica librum edere proposui, nemini diligentia secundus ut essem, nullis laboribus pepercī. Me, inquam, memini uidisse uesicā tumentē adeò, ut supra umbilicum tumor insigniter attolli conspiceretur, ut eam nedum crassiora solum, quilibet anatomē peritus arctare posse, sed nō paruam quoq̄ tenuium partem iudicasset: cui rei ut aliquando accuratiōres animū adhibeāt, quæso. Dicamus itaq; nos, materiam illam, quæ sensim à uenīs ad uesicam propulsa stillicidium faciebat, tanta interdū posse copia ad eam affatim trudī, ut quamuis inde pauxillum quid lotij effluat, tantopere tamen illā extendere ualet, unā cū lotio suppresso, ob penis obturatū meatum, ut intestina adeò com primere queat, ut non fecus quām in enterocele uel torminib; uoluulus excitari possit; si præst̄im ea affuerint, de quib; paulò post dicā. P A P. Hæc tua quamuis expositio uerū Aphorismi sensum aperire uideatur, quid tamen ad Galenum dices? cuius (nec immerito) tanti est authoritas, ut ualidissimæ rationis locum sibi uindictet; uesicam etenim ait, se səpīus uidisse supra modū extentā, ex eis tamē (quos uiderit) nullus factus est ileosus. D O. Cur ergo tanto uiro, tamq̄ ingenuo non credam? Sed neq; quintanā febrē ipse uidit, quam te tamen scio, & ex medicis nostris plerosq; uidisse. Cur præterea quæso, Galeno magis, quām anti-

## IN XLIII. APHORIS.

quioribus clarissimis illis expositoribus credendum? Quod si cōcessero, an forte putabis maiorē etiam ipsi, quām diuino Hippocrati fidē præstantam? In Aphorismisq; præsertim, quos ab eo cœlesti numine afflato prodisse creditum est. Tot possumus, & tanta, ut tumens uesica uoluulum excitare queat, concurrunt, ut non sit summopere miserandum, si id Galeni æuo nō euenerit, aut ipse nō uiderit. Atq; in primis uescicam pro ratione aliarū corporis partiū proportione, maiorem esse opus est. Quemadmodum indies uidere est, in exiguis quantūlibet hominibus, corporis partē aliquam longe magis, quām in maioribus increuisse; tunc etenim sic multò uralidius, multoq; plura intestina cōprimere repleta ualebit. Cui ut accedat eorumdem naturalis angustia, necesse est, ita ut à leui quaq; causa obturetur. At si ad hæc obesa quoq; fuerint, plurimaq; pinguine reserta, quis adeo stolidus, uel impudens inueniatur, qui negare audeat uescicā tamē, unā cum sic affectis intestinis, si supra modū extendatur, uoluulū efficere posse? P A. Sunt hæc certe ingeniosa nimis, uerum quid ad id, quod de prægnantibus obijciebat, dices? D O. Aptius multò poterat hydropicorum exemplo uti, ut non re naturali, sed re præter naturam, quod præter naturam est refelleret. P A. Me certe mirum in modū tua hac redargutiuncila oblectasti. D O N. Hoc ueruntamen, nec illud obstat, quamvis etenim prægnantium uenter prægrandis admodum sit, nequaquam tamen earū uterus usqueadè unquam repletur, ut intestina comprimat. Indicio, quod ipsarum aliis, quin & uesica (præterquam ex morbo) probe munere suo funguntur.

guntur. Hoc insuper adiecto, quod foetus (ualide etiam) se dimouere queat. Sed quinam amabò fieri potest, ut Galenum latuerit naturā, hunc in fœminis locum ampliorē, aquaticulumq; maiorem procreasse? Aqua uero intercutem affectis, siue aqua illud, siue sp̄iritus fuerit, intra abdomen loci satis inest. Quæ si nimirū forte increuerint, tussim sursum pulsā excitādo, prius ægros necant, quam ut ileon efficere possint. P A P. Ut hæc uera sint esto, uerum cum & ab inflammata uesica, ac eadem ob lotij suppressionē extenta uoluulus insurgere queat, cuius tu etiam fuisse sententiæ, cur ergo generatim non dixit Hippocrates, Quibus ob tumentem uesicam ileos superuenerit, & reliqua; at de stillicidio solo meminit? D o . Facile quidem dictu fore, si de urinæ stillicidio ueritatem hoc habere potest, longe magis poterit in omnimoda lotij suppressione. Leues tamen hæ responsiones, leuis etiam ingenij uiris permittantur, qui ad ualidissimas quantumlibet rationes, quicquid in buc cam uenerit dicere non erubescūt. Quocirca non immerito clarissimus legentium splendor Montanus, quos uulgo Circulos nuncupat, aspernatur. Dicimus propterea nos, Aphorismū intelligi opore de uesica, ob eam solummodo causam uidente, quam sola superueniēs febris amouere queat. Inflammatio nanq; suppurratur interdū, suppurrataq; rumpitur, atque sic uesica detumescēte uoluulus aboletur. Quæ si suppresso lotio intumescat, fistula saltim intro demissa curabitur. At si à pituitæ crassioris & lentæ copia id fieri contingat, sola superueniēs febris opē ferre ualebit. Pituita ob eam attenuata, ac unā cū plurimo lotio aceruatim pro-

IN LIII. APHORIS.

pulsa, quod interea ob ipsam penis meatum obturantē supprimebatur; neque ūtib⁹ præ intestinorum compressione, deuoratis medicamentis ad uesicam permeare; in extrinsecus aut̄ admotis haud tantū roboris esse, ut id præstare ualent. P A P.  
Doleo certe Septimi libri uicem, quinam amabō fieri potest, ut in eo huic cōpar inueniatur. D O.  
Sunt, mi loannes, in illo quoq; meliora forte, sunt & deteriora, & paria pleraq;. Quicquid tamē fortuito nobis occurret, illud indicabitur.

APHORISMVS LIII. SEPTI-  
MI LIBRI.

Quibus inter uentriculum & septum pituita reposita est, non habens exitum neque ad alterū uentrem, his per uenas ad uesicam pituita uersa soluitur morbus.

D O. Clarius legeretur ut Theodorus, Quę ad alterutrum uentrem exitu careat; sic etenim Græcus codex habet, ὅτι ἔχου ἐξοδούς οὐδὲ εἰς ἐπόρειαν τὴν λοιμῶν. Cum Marinus existimatasset, nequaquam posse inter uentriculum & septum pituitam constitui, quin ad ossa pubis usque deflueret, atque inde ad uenas transsumi non posset: quāvis tenuis in aqua intercutem humor nonnunquam excernatur. Propterea audiendū esse, inquit, inter septum & uentrem, pro eo quod est, inter septi carnosam partē & peritonaei uerticem. Primum igitur ipsum sic Galenus redarguit, quod non minus pituita per uenas trudi, si sub eo spatio resideat, quod est sub membrana abdominis interiore, quam si ubi Marinus dicebat. Secundo uero, quod abusiva foret loquutio, si quis dixerit, Inter septum & uentriculum

sum, hoc est, peritonæi uerticem, cum huic membranæ cum uentriculo nulla intercedat similitudo. Verū, ut hinc exordiar, Quæ nam est abusio maior Galene, tuā ne an Marini: ut quod satis tibi fecisse putaueris, si materiam hanc in eo ample epigastrī spatio, intra abdominis membranā interiore rem contentā, sub septo esse ostenderes. At nōnne uidebas, non solum eam oportere sub septo esse, sed inter uentriculum & septum, dixerat Hippocrates: O quantopere Marinū increpares, si eum hæc dicentē audiūsses. Erat etenim potius redarguendus Hippocrates, cum semper nanque peritonæi uertex inter septum & uentriculū interierat, pituitam illam, uelit nolit, inter septum & peritonæum, uel inter peritonæum & uentriculum residere oportet. Quia ratione igitur dixit, Inter septum & uentriculum: hæc erant à Galeno docenda. Insuper si materia hæc ibi loci, ut dicas, contineatur, Cur non deorsum fluet? Quid ad Marinū dicas? An forte in Commentarijs de usu partium, uel aggressionum anatomicarum docuisti, ibi planitiem quampliā esse, super quam residere queat, ne deorsum labatur? An, ut quidam rudis dicebat, tu quoque dices, ibi eam suo lentore detineris? Cur nō igitur sic Marino respōdebas? Cum nanq; dixisset, Deorsum fluet; respōdere par' erat, Nō ideo defluit, quia suo hic lentore adhæret. At tenuata quoq; nōnne prius fluet deorsum, quam ut uenas ingrediatur? Huic tandem postremo rationi, ut animū adhibeas quæso. Non uideo quippe, testor deum, quid ad eam, quantulumcunq; ilud fuerit, ardui isti Galenistæ dicere possint. P.A. Quāuis hactenus mihi tuis his rationibus satisfa-

ctum fuerit, æquo tamen animo te etiam audiam.  
 D O N. Dixit Hippocrates; Nō habens exitū neq; ad alterutrum uentrem, Quí nam Galene precor, uentreſ iſtī duo ſunt; unū quippe intra abdomen amplum illud ſpatium eſſe conſtat: alterum uero ut pectoris cōcavitudinem dicamus neceſſe eſt. Cui etiam ſententiæ antiquus ille meus Aphorismorū interpres hiſ uerbiſ adſtipulatur: *καὶ μη ἐγενέθησον, μήτε εἰς τὴν τοῦ θώρακος καιλότητα.* hoc eſt, Et nō inuenit tranſitum, neque ad thoracis concavitudinem. Hoc ueruntamen omiſſo, quo probari facile poſſet, ut ſi ubi eā contineri dicebat Galenus, nunquam ad pectoris concavitudinem truderetur, atq; ſic ab Hippocrate fruſtra dictū foret, Non habens exitum neque ad alterutrum uentrem; ut dicas quæſo, ſi intra (ut ait) abdominis membranā con-tineatur, nōnne in horū duorū altero cōtinebit?

P A P. Utique. D O. Quonam amabò igitū dixit Hippocrates, Non habens exitum, neq; ad alterutrum uentre, cum nanq; in eorū altero reſideat, ad eum quomodo propeſetur? At uero ubi ſi Marinus dicebat cōtineatur (cuius utinā monumēta extarent, ac eorum, qui inter Hippocratem & Galenum floruerere, forſitan ipſe non ita elatus incederet) Si, inquam, ubi Marinus dicebat, cōtineatur, per ſeptum (quod contangit) thoracis concavitudinem reſudando ſubingredi poterit; nec minus ad internum quandoq; abdominis ſpatiū trudi. Quod ſi ad horum neutrū propelli queat, & dolorem infeſerat, irritata Natura illam per uenam à iecore ad cor ascendentē (quinimò forte rectius, unā cum Aristotele, deſcendentem à corde dicere tur) per eam, inquam, uenam, quæ hinc non procul

cul septū unā cum peritonæo perforat, ad descendētēm cauam propulsatur, indeq; intercedentib; emulgentib; ad renes, perq; urinarios meatus ad uesicā tandem. Per eandem quoq; uenam nonnunquam suppuratorū pus ad uesicam haud ab similī mōdo trudī potest; nec erit propterea tamen (ut quidam putarunt) insigne admodum naturæ miraculum. Non est igitur par ratio, ut si hic residens pītuīta possit (& facile etiam) per uenas excernī, poterit pariter si ubi Galenus dicebat contineatur: cum uena hæc ampla sit satis, patentesq; meatus habeat. At illius loci uenæ capillares ferè sunt omnes, per quas uix & raro, ualidissimis etiā medicamentis, hydropicorū aqua (quamuis admodū tenuis) extrahī possit. Nunc superest, ut videamus, nūquid, quod Marino obīsciebatur (quin potius Hippocrati) abusiuam scilicet, ac im propriam esse huiuscemodi loquutionem (Inter septum & uentriculū, id est peritonæi uerticem) ueritatem habeat. P A. Abusiuam. Minime. His nanc; uerbis indicare peritonæi locū, super quem pītuīta hæc resideret; perinde ac si in ea eius parte dixisset, quæ uentriculum tegit, atquie ob id, inter septum & uentriculū dixit. D O. At queret à nobis fortè curiosus aliquis, Cur ibi potius, quam in quapiam alia peritonæi uerticis parte pītuīta hæc contineatur? Qua de re nunc, ut anatomes peritiores alloquamur necesse est. Septum enim ibi, carnosa scilicet (ut Marinus dicebat) sui parte, ali quantis per deorsum inclinat, quod præterquam quod uisui satis conspicuum sit, hac etiā ratione comprobāt. Si etenim penitus extentū foret, munere utiq; suo dilatationis, constrictiōnisq; fungi

## IN LIII. APHORIS.

non posset. Hinc sit, ut peritonæi uertex (ut septo cedat) deorsum & ipsum inclinet. Ad hunc igitur uerticis peritonæi locum, ueluti ad quandam (sic dixero) foueā, pītuita haec necessario prolabitur, ac ibidem eousque permanet, quousq; ad horum trīū locum quempīam trudatur, uel ad thoracis concavitatem per septum resūdādo, uel intra abdōmīnis spatiū: quod si ad neutrum horum ualeat, ad uesicam eo, quo dīximus, modo propulsabitur. P A. Hunc Aphorismum ego, testor deū, Donate, spuriū semper, & nothum esse hactenus credidi. Nō enī quid sibi uellet Hippocrates mihi satis cōstabat, minusq; Galeno interprete, à quo satis mihi fuerat dīdicisse, ut Marīno non crederē, cum Galenus (cui plurīmū trībuo) ipsum redar guisset. Verum enim uero nunc eum nulli claritate, ac eruditione postponendum censeo. Vnū hoc tamen insuper terrogatum uelim, ut si quāpiā in sequenti (minus mihi etiam noto) annotaueris, dīcere non pīgeat. Abdītus etenim satis (ut mihi uidetur) eius sensus est. D o. Vno igitur ambo, eodemq; calle incedemus. Nostī nanque scio, quā topere anatome operam nauerim, eorum tamen corpora pīcipue secare libuit, qui ob phrenitidē, ut attonitum morbū, anginam, aut pleuritū interierint. Sed, ô dīj boni, quot tabidos, orthopnoicosq; secui? Utq; summatim dicam, Quoscunq; qui ex morbo quopīam ē uita deceſſere, mihi pīfīta facultate nullis laboribus parcens aperui. Aqua intercutem uerò affectos non minus forte decem, nullus hactenus tamen inuentus à me est, cuius omentū aqua repletū uiderim. Verum ne uereare nimis, Galenus nanque pro tertio nobis sese

fese sodalem præstabit. Quod, ut tibi (cui non patrum debo) morem geram, protinus apertissime monstrabo, ac unā quāe in Aphorismo adnotauerim, aperiam.

APHORISMVS LV. SEPTI-  
MI LIBRI.

Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his ueter aqua repletur, & moriuntur.

D O. Dixeram ego Galenū uerum Aphorismi huius sensum ignorasse: quod ex ipsius met uerbis facile agnosces. Inquit enim: Vel igitur uult omentū exedi in partibus scilicet dextris ipsius, secundū quas est hepaticū uincinū; uel in omentū audi dire oportet, hoc est, in ipsius locum. Ecce quām perspicue, se utra sententia uerior sit, nescire fateatur. P A P. Quis secus dicet, cum ipse rem in dubium trahat? D O. Secundū tamen sensum magis approbat. Non possum nō moleste plurimū ferre, mi Ioannes, cum audio cuiuspiam authoris interpres, ipsum in docendo rudem, ac imperitum facere, diuinumq; præsertim Hippocratem; an ignorabant forte quid peritonæum, quid ue abdomen esset? P A P. Esset profecto hoc asserere impium. D O. Sic igitur dicendum potius erat, Quibus iecur aqua plenum in peritonæum eruperit, uel intra abdomen dixeris. P A. Sic enim utique potius dicendum erat. D O. Primus itaq; sensus, præterquam quod clarior, magis etiam consentit Aphorismi uerbis: non eo tamen pacto, quo Galenius existimauit. Quænam dicas uelim conuenientia, aut similitudo est, ut quis dicat, Iecur aqua plenū,

cum hoc, Vesicæ in hepatis membrana aqua plene.  
 P A P. Nulla prorsus, D O. Verum nec ueritatem  
 quod dicitur, haberet potest. Millies quidē & am-  
 plius coegit me Aphorismus hic ad macellū mea-  
 re, ut plurimorū animalium iecora inspicerem, ut  
 num forte has mihi uidendi uesicas quandoq; da-  
 retur occasio. Vidi quidem eas & saepius, et in ma-  
 cris præcipue animalibus, quae forte integre sana  
 non fuerant, quas cuicunq; uidere facile licet, &  
 duras in uno iecore saepe, atque etiā tres nonnun-  
 quam. Tantū autem abest, ut disruptæ omentum,  
 aut abdominis uacuitatem replere queant, si in il-  
 lam eruperint, ut ne minimā quidem eorum par-  
 tem. Nec uralui (testor deum) prima ea uice, qua il-  
 las inspexi, risum tenere, eorum memor, quae hic  
 dixerat Galenus. Putabā nanq; me, nō uesiculos,  
 sed uesicas quasdā prægrādes uisurum, in quibus  
 aquæ plurima copia cotineretur. Cū præsertim di-  
 xisset Hippocrates Eruperit, perinde ac si impetu  
 feratur, diceret. Huius nanq; uocabulū uis est, Im-  
 petu ferri. Verum si ab his uesicis per annum per-  
 petuò aqua deflueret, uix repleretur omentum,  
 nedum affatim irrupendo. Atque, ut præcedens  
 Aphorismus, mihi nō parui dispēdij in causa fuit,  
 ut tandem agnoscerem, an intra abdomen pituita  
 residere posset, quin deorsum flueret; hic plurimi  
 profecto fuit laboris, temporisq; iacturæ. Quo fa-  
 ctum est, ut huius sententiæ diu fuerim, hūc Apho-  
 rismum, non secus ac tu præcedentē, nothum, spu-  
 riūm q; fuisse, cum propterea, ut dixi, ex tot dispe-  
 ctis hydropticis nullum unquam uiderim, cuius  
 omentum aqua repletum foret. P A. Num adhuc  
 forte in eadem sententia peritas? D O N. Minime.

P A. Cur ab ea igitur discessisti? D O. Dicam & ingenuie. Cum nanc̄ dixisset Hippocrates, Quibus iecur aqua plenum, & reliqua: sententiamq̄ Galenī de uescis ridiculam iudicasse, de agnoscenda Aphorismi ueritate desperatus, ad alia me diligentius examinanda conuerti. Forte autē fortuna factū est (nunc tertius cūciter agitū annus) ut cum quidā iocinoris affectū detineretur, ac nō parua orta esset inter nōnullos celebres satis medicos, dum adhuc uitā ageret, quēstio, nunquid eius iecur scirrho affectū fuisset, aut sola obstructione teneretur? præstita mihi occasione illū (cum mortem obiūset) aperui, ut utra uerior sententia fuisset agnoscerem. Homine adaperto, hepar intueor duplo maius, quam in alio quopiam unquam uiderim, crassius, productius, & amplius, fœdissimiq̄ coloris. Quod cum primum scindere aggredior, ecce protinus effluīt aquæ plurimū, ad eius instar, quæ à tumentibus cruribus profluit, ubi illis medicamenta admouentur, quæ uim ciendi uescas habēt, luteam scilicet, uel pallentem dixeris. Illicoq̄, testor deum, menti subit hīc Aphorismus. Quocirca denuò ipsius aliū locū scindo, tertioq̄ & quarto, deciesq̄ & amplius, semperq̄ à quaq̄ parte secta, non parua aquæ copia effluebat. Ab eoq̄ tempore citra mihi satis cōstitit, quid hīc sibi uoluerit Hippocrates. Per molestū tamen summo pere mihi ēst, quod nō eam omnē aquā hauserim ac ponderauerim, erat profecto illius copia ingēs satis. P A. Hoc mihi à te uiro, quem ingenuū semper nouī, audiisse quam gratissimum ēst. D O. At non sic plurimi dicent, qui sic Galenum legunt, ut Hippocratem ipsius præceptorem negligant.

Verum enim uero dicit, id nequaquam fieri posse,  
 remq; commentitiam hanc petius esse, cum nus-  
 quam hoc apud Galenū reperiatur, præter tamen  
 quod ipso quoque elici potest, si quis eum exquisi-  
 tius legerit. Ab Hippocrate haec habetur his uer-  
 bis sententia: Ab hepate fit aqua intereus, cum in  
 hepar pituita accesserit, et hepar ipsam suscepere  
 & humectum fuerit: statim igitur calorem huic  
 exhibet, & flatum inducit, deinde temporis pro-  
 gressu aqua impletur. Et rursus: Si uero tibi uidea-  
 tur aqua discessisse ab hepate. At per uicax quis-  
 piā forte dicet, non esse haec Hippocratis Com-  
 mentaria: non negabit is tamen uirorum fuisse il-  
 lustrium, alioquin ei non adscriberetur. At quid  
 ad hos dicam amplius: Si Hippocratem negligūt,  
 Ianios adeant, inquirant, scrutentur: scient utq;  
 discisso quandoq; animalium iecore, aquæ nō pa-  
 rum effluxisse, eorumq; præcipue, quæ diurno  
 quopiam morbo detinebātur. Quocirca non pos-  
 sum non summopere Galenū demirari, ut quem  
 latuerit, quonam interdum pacto iecur aqua re-  
 pleretur, cum non esset tamen res admodum in-  
 uentu difficilis. P A. Gratulor tibi Donate, quod  
 nihil hactenus, non nisi duce Hippocrate in me-  
 dium attuleris. D O. Non est posthac mirandum,  
 quo nam pacto ad omentum protrudi queat, si  
 quis uenæ portæ incessum nō ignorauerit, eiusq;  
 ramī præsertim, qui ad omentum uadit. Ad eius  
 nancū uerticē, unde enascitur, aqua impetu pro-  
 pulsa, quampiam illuc ualeat uenam disrumpere,  
 atq; sic in ipsum defluens cū sui copia replere. An  
 nonne poterit quoq; omentū, sic à iocinoris aqua  
 per tenuissimam eiusdem membranā exudante,  
 faci

facilius exedit: quam ab aqua in uescicis contenta,  
 in decuplo ferè crassioribus: quemadmodum nec  
 à bile in hepatis uesica longè magis acrī exeditur,  
 quæ tamen omentum ipsum cōtangit. Est insuper  
 & tertius quidam alius, & forsan uerior modus,  
 quem ut nunc tamen anatomes peritioribus scrū-  
 tandū relinquo. Ex his igitur satis perspicue con-  
 stat, perperam à Galeno dictum esse, horum quos-  
 dam seruari, quemadmodum seruantur quidam  
 aqua intercutem laborantes per medicamenta pur-  
 gantia, & epithemata. Verum nō uiderat, nullum  
 his superesse curationi locū. Quis nanc̄ audet  
 in tanta iocinoris imbecillitate, æris squammam  
 cum mīca panis deuorandam præbere: aut quis  
 elaterium, aut sylvestris cucumeris corticē, uel ex  
 his aliquod, quicq̄ hydropticorum aquam educunt?  
 Tantū autem abest, ut epithemata illis opem ferre  
 ualeat, ut neque etiam sectum abdomen: profun-  
 dius nanc̄ hæc aqua residet, quam ut his ingenij  
 extrahi queat, quo circa necessario intereūt, uixq̄  
 illus, & raro admodum seruari potest. De quibus  
 alijs dicebat Hippocrates: Morbus est grauis, &  
 pauci hunc effugiunt. Cui sententiae Auicenna  
 quoq̄ assentire uisus est, author nō omnino sper-  
 nendus: præter nanc̄ methodum nō contemnen-  
 dam, nullam ferè regulam arti necessariā omisit.  
 Quapropter non immerito dixit ille, Cæteris par-  
 ticularior. Visus est quoq̄ præterea optimos quos  
 que authores sectari uoluisse, Galenumq̄ in pri-  
 mis, Dioscoridem & Aeginetam: præclarior qui-  
 dem habitus; si Græcas literas calluisset. Cum hoc,  
 inquam agnouisset, dixit; Moriuntur ob vapores  
 prauos, à materia mala eleuatos, cuius malitia con-

tracta fuerat in uesticis ante earum disruptionem. Idē nanqe de uesticis cū Galenō putabat. Videas, quæso, quid faciat credulitas. P A. Quām maxime placet, dīj boni, me ad id æui peruenisse, ut parte ab omni medicinam instauratam uiderim. In his nanque quæ ad anatomen pertinent, nō antiquis solūmodo pares, sed superiores quoqe euafsimus. En tibi Vessalius, qui Galenum ineptum, & penè bardum ostendit. In simplicium præterea cognitione, quamuis aliqua nos adhuc lateant, nonnulla tamen innotescunt, seculis illis incognita, quoqe circa res par pari redditur. Multoqe etiam magis oblector, cum uideam ætatem nostrā cum illa & aequo forsan Marte certare. Quis nanqe in hoc Aphorismo interpretando Galenum censura dignum non iudicet? atque quod nō secus ac tu, Aphorismus intelligi debeat ac possit. D O. Audies spero in altera editione cū plures hoc, ac reliquis omnibus præstantiores: primo tamen dempto, in illo etenim mihi certe satis placui. P A. Nec iniuria quippe. Quis nanque, præter ignaros, aut proteruos, inficias ire poterit, quin in illo aliquid omnino desideretur? D O. At mihi, cum de his statis, superqe dictum sit, non nihil adhuc ad medicinam instaurandam deesse uidetur. Proh deum fidem, quot instrumenta ad luxata instauranda atque fracturas resarcendas, à ueteribus tanto sudore ac industria elaborata desiderantur; ita, ut unum tantummodo glossocomiū Venetijs inuentum sit. Sed de tot fasciarum generibus à Galeno (ut alia omittam) tanto ingenio repertis, quid dicam? Quæ tamen apud neminem (quod sciam) præparata conspicuntur. Quod breui tamen for te

te fiet: iam etenim opus hoc aggredi cœpi. Quod bene quidem erit, si perfecero: sin minus, poste-  
ri minori labore, faciliusq; absolucent. Cæterum nondum quoque hactenus Medicinam suum il-  
lum priscum candorem adeptam esse mihi tride-  
tur. An nōnne animaduertis, quod à barbarie  
maior medicorum pars exire nescit, medicamen-  
taq; per id tempus exhibere, cum ægrum quiesce-  
re expediat, ut errores mille alios prætermittam,  
quoniam de eis amplissime clarissimus Cardanus  
scripsit. Et, ut de meipso dicam ingenue, oportuit  
me prius artem hanc dediscere, quām ipsam didi-  
cerim, utinamq; dīdicerim, Id unum quoque di-  
cam: Quisnam inueniatur medicus, qui cuipiam  
sanguinem mittere audeat ad animi usque deli-  
quium: quòd usque adeò interdum necessarium  
est, ut si id facere neglexeris, ægrotantes prorsus  
eneces. Ob id patres hi nostri pristini medici haud  
parua reprehensione digni censendi sunt, quod  
iniustissime in ea febre maligna, in qua deflora-  
tionibus illis cutis referta est, quas uulgas Pete-  
chie nuncupat, sanguinis missionem (ut homici-  
dam) infamauerunt: cum in ea nullum sit præ-  
stantius remedium. Cum nanque sex uel septem,  
& ad summum octo sanguinis uncias hausissent,  
atque ob id plus satis ex humorum agitatione de-  
trimenti ægrotis inferrent, quām ex refrigeratio-  
ne utilitatis: in hanc unanimes sententiam con-  
senserunt, nullo pacto in hac maligna febre mitti  
sanguinem oportere. O duram illorum, nec ini-  
quam sententiam dicam, qui ob sanguinis mitten-  
di quantitatē ignorantia, tam singulare, tamq;  
preciosum, tam denique præsentissimum præsi-

dium despexerunt. Num ignorabant forte in morbis extremis, remedijs etiam extremis uti oportere? quod quamvis de sola uictus ratione in Aphorismis intelligi Galenus afferat, ad omnem tamen curationis modum in arte curativa transtulit. Hic igitur si diligentius Hippocratem, ac exquisitissime perlegissent, inuenissent utique diuino illi uiro parum uisum fuisse, cum sanguinem ad solam eiusdem mutationem haufisset, Galenoque non secus parum uisum fuisse sanguinis mitti, si ad solam libram mitteretur. Vide precor, quantopere neglexerint tantorum authorum monumenta. Quia de re iuniores (ut filios) monitos uelim, ut in hac præsertim febre sanguinis libram, & cum dimidia quandoque, atque plus etiam intrepide mittant, seruata interea corporis uiriumque, ac rerum aliarum ratione. Hic nunc exemplum à me ipso natum non incongruum fuerit referre, de quo quidem Ragusinorum uniuersa ciuitas testimonium exhibebit. Cui præterea & domestici mei omnes (deo iuuante) adhuc superstites, attestari possunt. Cum nanque Ragusilum peste coepisset uexari, neque tamen adhuc mali certitudo haberetur; uocatus sum ad nobilem quandam puellam curandam, quam febre paucula detineri dicebant. Adiuui, ase sedi, pulsum tetigi, linguam inspexi & lotium: meque illic non parum temporis commorante, ecce duos ostendunt carbunculos horrendos satis. Paucula quædam cum ordinasse (puellam namque prope morientem videbam) recepsi, domum reuertor. Ecce paulò post me calefieri sentio, capitis dolore urgeri, non sine dextræ femoris, atque sub ala tumore. Ministrum ad sanguinem mitten

dum

dum aduoco; nullus, qui ad me accedere uelit inuenitur, eò quod puella iam è uita decesserat. Ade quod me authore, ut alijs sibi cauerent, fama totam urbem repleuerat, eam peste obiisse. Quidam mihi tamen lanceolam tradidit, manuqp sinistra duas sanguinis libras (uncia una minus) à uena ie coris emisi. Nec mireris me sic auctum fuisse; nosti scio cum iunior essem quanto sanguine abūdaue rim. Quid præterea de toties à clarissimis nonnullis medicis repetita quæstione dicam? Nūquid in Costalí morbo (uel pleuritum dixeris) inter morbi initia affectæ partis uena secunda ueniat? Cum perspicuum admodum sit, hanc fuisse Hippocratis atque Galeni mentem: quamuis secus (ut Arbes omittam) Archigenes senserit. Quod nulla alia de causa factum puto, quām quod frequenter sic curati ægrotantes, intereant. P A P. Male igitur sensit Hippocrates? D O N. Male sensit, aīs absit à seculo ut hoc asseram. Verū nonnunquam euénit, ut in ignominiam authoris uertatur, quod perperam administretur. Id enim, mi Opizone, sit, quod in hoc morbo non secus ac in enarrato, sanguinis satis non mittitur. Nec ab re fuerit (ut nunc) duo saltem recensere exempla. Nuperrime igitur uir quidam annum quinquagesimum ciceriter natu, calidioris humidiorisqp temperaturæ, uinis potentibus assuetus, carniumqp plurimorum esu, facie rubicunda, pleuritide detentus à seniore quodā medico curabatur. Ad quem, cum ego quoque accessissem, referebat ille (ut mediorum moris est) quæ nam & qua ratione fecisset. Sanguinis, inquit, primum uncias quinque misi ab eodem (Galenimore) latere; iterumqp id repe-

tit, atque iterum, quin & decies forte. Nō potuit  
 Excellēs Cesena, qui & ipse aderat, r̄sum tenere;  
 cum audisset hominēm suam hanc parcam phle-  
 botomiam tantopere extollere, qua plus sanguis  
 nis satīs ad inflamatam partem trahendo, quām  
 ab eadem detrahendo hominēm ad hoc duxisset,  
 ut ad eum deplorandum potius, quām curandum  
 uenissimus, qui ad paucas illinc horas suffocatus  
 interiit. Sed quid de primo huīusce rei inuentore  
 dicam, maximo alioquin Galenista, cui cūm no-  
 bilis quidam Ragusinus, Nicolaus de Bona, hoc  
 morbo detentus securum præstasset, mate-  
 ria tandem ad caput commutata, mihi superuo-  
 cato mirabundus dicebat, Quid hoc est, quæso,  
 cum sanguinem ad octo ferē uncias miserim; ac si  
 magnum quid fecisse sibi uisum fuerit, quod tan-  
 tam copiam hauserit: obijt ille freniticus paulo  
 post tamen. Cumq; eius discipuli à me percuncta-  
 rentur, quid in causa foret, ut hac methodo curati  
 perirent plures, quām quibus à principio tali ue-  
 na secabantur: cum tamen pro certo scirent hanc  
 fuisse Galeni mentem, Quibus respondi, me de  
 alijs nescire, huic tamē iuueni scio, bene carnosο,  
 colorato, ac plurimi roboris parum sanguinis fu-  
 isse extractum, cui ego non minus libra missem:  
 eosq; admonui, ut in hoc morbo audenter pluri-  
 mum sanguinis mitterent. Extantq; penes me u-  
 nius illorum literæ, quibus ingentes gratias agit;  
 quod illum sic admonuerim, cum raro fiat quin  
 illi ex uoto succedant omnia. Audete igitur iuue-  
 nes, audete, inquam, copiosius in hoc morbo san-  
 guinem mittere, quod uobis maximo erit decori;  
 & non paruo emulumento. Quod si quis uestrum  
 fortis

fortis adeò animi non sit, ut non audeat: homini consulo, ut inter morbi initia tali prius uenam fecerit, dehinc paulo post affectae partis secorariam. Nec ob aliam causam existimo medicos Arabes hanc uenam, uel partis affectae oppositam, à principio morbi secasse, quām quod à parte affecta congruam sanguinis copiam mittere non audebant; uel quod eis forte (ut nunc interdum etiam fit) ab ægroti affinibus non admittebatur. Quapropter cum examinate cogito, quam ob causam (absitq; quod hac ratione me extollere uelim) dicant opines me (ut in uulgatissimo adagio est) boenas manus habere. Nullam aliam inuenio, quām quod tempestiue, copiosiusq; sanguinem mitti. Verum cum de his satis, nundum hactenus uideo Medicinā suum illum priscum splendorem recuperasse, sed adhuc plerique inculti spectantur. Video tamen quorundam iuuenii cateruam tanto ingenio, & discendi fēuore, cum præsertim ci tra rubiginem omnem ad artem se contulerint, ut & ob susceptas æui nostrī clarissimorum hominum uigilias, summosq; labores, illorumq; florentissimis ingenij non dubitem, ut ad nitorem suum eam breui deducat. P A. Ast tu mihi indices rogo, quinam isti sint iuuenes: non enim te fugit paruam mihi esse corum notitiam. D O N. En tibī duo bonarum literarum lumina, tuus Augustinus Mutinensis, & Ioannes Baptista Susius. Sed quis Maraboto doctior aut eloquentior? Quis Rítio præstantior, Tintoq; solertior? Quibus accedit non minus in arte accuratissimus, quām utriusq; linguae peritissimus Castellus meus. Quid

IN LV. APHORIS. LIB. VII.

demum de fulgentissimo iunioris Abiosi ingenio  
dícam: Videor quoque mihi uidere non procul  
quoddā Binnianum germen Aloysium, qui præ-  
ter ingenij acumen Matthæo patre medico claris-  
simo ortus, patruos, auunculos, aiosq; illustres  
habet & habuit. Cui igitur secundus erit: Sunt  
& aliij complures his haud dispare, quorum si no-  
mina silentio iuuoluo, ueniam dabunt:  
ut nanque sibi finem faciam,  
Dialogus iubet.

F I N I S.